IN ACTIONES IVLIODVNENSIVM VIRGINVM.

FRANCISCI TIDOVX
Doctoris Medici Pictauensis,
EXERCITATIO MEDICA.

AD D. DVNCAN,
Doctorem Medicum.

Secunda Editio auctior & emendatior.

PICTAVII,
Apud IVLIANVM THOREAV, Regis,
& Academiæ Typographum.

M. DC. XXXV.

24245.8.11

HARVARD COLLEGE
MAR 4 1920
LIBRARY

Hayes fund

IN ACTIONES IVLIODVNENSIVM VIRGINVM.

Exercitatio Medica.

DVO omnium rerum pulcherrima diuiniſque operibus conſimilia nobis à Deo cõceſſa eſſe, verè & ſapienter pronunciauit Pythagoras, veritatem nimirum eloqui, & hominibus benè facere. Primum ex veri cognitione & contemplatione pendet, eſtque hominis proprietas ſecundum Alexandrum, ſiqui- *in prĩcipio l. priorũ.*

dem omnes homines naturâ cognoſcere appetant: alterum verò Medicinæ proprium eſt, eíque ita adhæret, vt eo deſtituta nulla penitus futura ſit. Ab ipſius enim mundi exordio in hunc vſque diẽ ſemper de theſauris ſuis humano generi immenſa largitur beneficia, dum tamen eâ lege teneantur eius miniſtri, omnibus vt benè, nemini verò malefaciant, ſed artis tam præclaræ munera fideliter diſpenſent ac diſtribuant. Itaque dolo non vtitur, fraude caret, imò ſingula ad phyſicam trutinam examinat, à naturalibus ac phyſicis cauſis naturales effectus oriri agnoſcit, ſincerè cuncta perſpiciens, dilucidè ſingula explicans, candidè res omnes dijudicans, omnium rerum ſolidam, infallibilem, & veram

rationem reddens, (licet ſint fortaſſe pauca quædam quorum vires omni ex parte cognitas non habet, quamuis habeat exploratas.) eaque omnia ad ſua reducens principia, nihil noui fingit: ſed quantum naturalibus cauſis tribuendum eſt, tantum ijs concedit, nec tamen intereà à diuinæ legis tramite quicquam deflectit. Diuinæ autem illius ſcientiæ miniſtrum Hipocr. philoſophũ eſſe ſcripſit, Deoque ſimilem exiſtere, qualem te prædicant omnes (Vir clariſſime) & ἰατρεῖον eſſe φιλοσόφυ χολεῖον clamabat olim Rufus. Plurimi quidem verbis ſermone & fama ſunt Medici, vt ipſe Diuinus præceptor ſcriptis mandauit, opere autem & reuera perpauci; quod nimis cõpertum habuimus in ijs quæ Iulioduni

περὶ ἐνχημοσυνης.

περὶ νόμυ.

fiunt : Etenim in ijs quam-plurimi ea quæ neſciunt ad occultum aut diuinum ſtatim referunt, moreque vulgi tribuũt Dæmonibus. Si quis medicaſter naturali ſcientia leuiter tantum inſtructus Echeneidem de genere piſciũ ſemipedalis longitudinis, detinere nauim ducentorum & amplius pedum conſpiciat, Dæmonem ibi abſconditum exiſtimabit : ſi eum obſtupeſcere viderit qui arundinem à torpedine contactam digito ſolum attigit, quod expertum refert Albertus magnus ex ſententia Plinij & aliorum grauiſſimorum authorum, hoc vi naturali minimè fieri poſſe ſtatim affirmabit. Et Gal. cum ex Medicinæ ſcientia multa huiuſmodi perficeret Dæmoniacus exiſtimatus eſt. Rudes homines & in ſci-

Cap. 24. l. de animalibus.

entia naturali minus verſati quod non norunt fieri per cauſas euidẽtes, non ſolum ad agens extra naturæ ordinem, ſed quid ſupra nimirum in Dæmones retulerunt, & hoc ipſum paſſim in vulgus ſparſerũt, minus animaduertentes quod ſcriptum legitur in ſacris literis, *qui facilè credit leuis eſt corde.* Vereor itaquè ne in illos quadret illud Eſaiæ Prophetæ, *non ponet ibi tentoria Arabs, nec Paſtores requieſcent ibi, ſed requieſcent ibi beſtiæ.* Certè Philoſophi & Medici ſubtiliſſimi Arabes & Mauritani noſtri non ita leui de cauſa alienas vias ſequuntur, nec vt veri naturalis ſcientiæ paſtores & curatores, ſuper alias quam naturalis ſcientiæ terras placidè & ſecurè recumbunt. Verum de his non loquor qui à vera philoſophorum do-

ctrina quo ad rem ipſam non diſceſſére, in quorum numero juſto titulo reperitur Collega noſter D. Franciſcus Carré, qui Clariſſ. D. Cyteſio D. Medico Regio ac Decano noſtro meritiſſimo Epiſtolam elegantem firmiſſimis fultam rationibus hac de re ſcripſit ; vt nec de omnibus alijs qui ex actione non naturali in re aut in modo, quid præter naturæ ordinem cenſuére. Sed ad eos illud tantum Eſaïæ pertinet, qui ex ſimplici corporis inuerſione, aut alia contorſione membrorum huc vſque nondum ab illis obſeruata, & minus explorata dubitant, aut mirum eſſe exiſtimant : quamuis non ſine cauſa, cum admirationem & dubitationem ex ignorantia procedere demonſtrarit Auerrhoes. Qui enim Philoſophiæ

In proœmio l. 12. Metaph.

sunt ignari, ob multarum rerum naturalium inscitiam, fieri solent creduli & superstitiosi, eorum scilicet more qui cum nihil haberent quod exhibitum prodesset apud Hip. ne manifesta fieret eorum ignorantia Sacram affectionem esse pronuntiarunt. Tu verò vt Philosophus, idpræcipuè intendis, vt euidentium operationum & effectuum in Iuliodunensibus Vrsulinis & alijs quas Dæmon agitare creditur, euidentes, imo & palpabiles, infallibiles, ac è Physicis fontibus depromptas rationes reddas. Opus sanè arduum, quodque multi summo studio agressi, postquam in eo multum operæ locarunt, efficere tamen huc vsque non potuêre, vt actionum conditiones penitius rimatæ perciperentur, ac intellectum sub-

περὶ ἱερῆς νούσε

euntes rationi ſatisfacerent: quaſi eas Deus nos magis mirari quam ſcire voluiſſe viſus ſit. Quam difficillimum enim certa & vera proferre in quibus nec ſapientes quidem ſatis ſibi ſapiunt, ſciunt eruditi: proindè ſatis prudenter in omni re obſcura Iſocrates admonuit Demonicum, vt ſibi à calumnijs caueret, cum plerique veritatem ignorent opinionē autem ſequantur, de qua vetus eſt querela apud Euripidem in Alexand. *Domine vehemens eſt malum inter homines calumnia.* Simplicitatem ac ſanctimoniam Virginum confundere, probitatem Exorciſtarum fraudis inſimulare, & quæ pietatis ſpecie obuelantur, magicis artibus deturpare, vnum & idem eſſe videtur, ſaltem mihi nec veritatem eloqui nec omnibus be-

nefacere hucuſque perſuaſum fuit. Quod ne tibi contingat, vehementer exoptaui antequam ſententiam proferas in editione alterius libelli, vt quæ ſequuntur attentè perpenderes ; ad id præſertim impulſus dum tu me non ita pridem inuiſiſti, vt de actionibus Vrſulinarum Iuliodunenſium ſermonem haberemus, & eó liberius quó amicitia noſtra virtutis ſocietate conglutinata illud ſuadet, vt in dies magis firmetur, taliſque reddatur qualem Ariſt. τελείαν aut ἀδιάβλητον & μόνιμον vocat ad Nichomachum. non vero qualem populus apud Senecam temporariam appellat: Oportet enim diſquiſitores non inimicos eſſe iudicaturos verum. Et ita vt veri amici ſi perpendamus quæ in nobis deliteſcunt li-

Cap. 3. l. 8.

Epiſt. 9.

1. de Cælo, textu 101.

bera maximè ac tranquilla cogitatione, ſoluta quidem anima non à corpore ſed à corporis penſo, & ab omni præter veritatem inclinatione vacua, inueniemus certum: tuncque ſententiam fortaſsè mutare licebit: ſapientis enim eſſe ducimus mutare conſilium in melius.

Iuliodunenſes quaſdam virgines à Dæmone agitari communis & vulgata eſt opinio, nihil verò à veritate remotius eſſe quam vulgi opinionem in confeſſo eſt apud omnes: Verum hæc quæ de Iuliodunenſibus Vrſulinis circumfertur, jam multorum menſium ſpatio corroborata videtur, communique hominum conſenſu munita. Ideò non ſine temeritatis ſuſpicione manifeſtoque offenſionis periculo abrogari poſſe vi-

detur, nam quæ pars maior eſt eam ſectamur, quamuis indicium peſſimi turba ſit, vt rectè Seneca monet. Sed inſuper habetur pro iudicata, & ita iam authoritatem acquiſiuit: nam Mæcianus ad Senatuſconſultũ Trebellianum docet, *quod erit per errorem vel ambitionem malè judicatum, nihilominus rei pondus & authoritatem habiturum:* multò magis quod à doctrina ex multis experientijs omnium actionum & obſeruationum, longoque tempore judicatum fuit. Taliſque dicitur prudentiſſimorum hominum ſententia quos veteres δαίμονας quaſi δαήμονας id eſt ſcientes & Ariſtoteles θείους ἄνδρας hoc eſt, vt poſuit Marcus Cicero, diuinos nuncupant: *occultiſſima enim, ſunt ſapientum* vt eſt in prooemio Metaphyſ. Sententiam nam- *Cap. 65.*

que de re occulta proferre ex multis & iteratis memorijs, actionibuſque ſufficienti tempore obſeruatis, & ad veritatis trutinam penſitatis, nihil eſt aliud quam ὁμοιῶσαι τῷ θεῷ vt vult Plato in Thæeteto. Et hæc fuit Illuſtriſſimi Pictauenſium Epiſcopi ſententia, qui res omnes ad conditionem & rationis legem metitur; neque enim vlla ſpe inani ducitur, neque rerum ignoratione fallitur. Rem tamen ſeuerè conſiderantes ſcimus illud Macrobij, *nec fallere, nec falli potuiſſe ſoli Deo conuenire*, ſed nouimus etiam *multa* vt D. Paulus docet, *per Eccleſiam Dei Principibus & Poteſtatibus innoteſcere*. Quidquid ſit in hoc effecit, quod ſuaſére doctrina, probitas, & pietas, vt indè, quēadmodum ait apud Macrobium Symmachus nullius lau-

2. *ad Ephe ſios.*

de creſcat, nullius vituperatione minuatur.

Sed vt ad rem veniamus, nemo in contemplatione naturæ mediocriter verſatus ex actione naturali non tamen ordinaria culpabit Dæmones: niſi enim actiones in re aut in modo limites naturæ ſuperent, non videntur accuſandi. Culpantur tamen in ijs quæ acta ſunt Iulioduni, quod vt an verum ſit exploretur, perpendamus quæſo actiones, actionũque cauſas inueſtigemus; vt ſejuncta extraordinaria & aliquo modo ſupernaturali cauſa, à naturali, ſequatur tandem pulcherrimus philoſophiæ fructus, nihil admirari.

Pleræque Iuliodunenſium Vrſulinarum, aliæque extra Cœnobium nondum thalamo jugatæ,

maturæ tamen, ab vno aut altero anno in re aliqua delirant, vociferantur, rident, plorant, ejulant, prælongam exerunt linguam, obſcœna loquuntur, execranda edunt, multos pugnis impetunt, contorſiones & obuerſiones ſtupendas exercent, humi volutantur, & ſeſe rotant, conuulſiones vniuerſales & particulares patiũtur, in Ecſtaſes rapiuntur, quæſtionibus Romano idiomate præſertim propoſitis, & ſæpius repetitis appoſitè, ſed vernaculo ſermone reſpondent, Sacroſanctas Euchariſtiæ ſpecies ſubindè in os ſolas regerunt, eaſque ſummis inhærentes labijs aut exertæ linguæ extremo illibatas palam oſtendunt, facta denique quædam occulta detegunt: Ea verò omnia maximè ad imperium Sacerdotis exercent

exercent. Delirant certè: ſed hoc vulgare in morbis, vt patet in melancholicis, phreneticis, & maniacis. Vociferantur: exercitij genus fuit apud antiquos vociferatio, quod thoracem & vocalia inſtrumenta perbellè exercet, vt docet Oribaſius ex Antillo: à Medicis talis exercitatio ἀναρώνησις dicitur, cujus vſum docet Plutarchus. Rident: homini natura riſum dedit; quia rident, homines ſunt non Dæmones, tolle riſum & homines eſſe deſinent. Rident: Plorāt: Ita lætitiæ & mœrori communes lachrymæ, ne miremur; riſus ipſe amat lachrymas & cum lachrymis frequenter erumpit, quod etiam ſeueris Spartanis contigit ob victoriā (vt refert Xenophon) & hyſtericis admodum familiare eſt. Ejulant, verbaque fracta &

l. 6. Collectorum.

In præceptis ſalubribus.

tertiata cum ejulatu miſcent, & ob leues cauſas; natura namque, muliebri hoc addidit ingenio, vetularumque inter omnes propriũ eſt, quæ nunquam non gemere & plangere audiuntur (vt vult Chremilus apud Ariſtophanem) muliebriter enim ejulare frequenter vſurpauimus auribus, & linguam ab irriſu exertam producere in comœdijs vidimus, fuitque alter ex irridendi modis; tres enim modos irridendi notat Perſius, manu ſcilicet pinſentem Ciconiam exprimere, oppoſito temporibus pollice auriculas aſininas effingere, & linguam exertare inſtar ſitientis canis. Obſcœna loquuntur; & molles venaleſque amicæ ob flammã amoris obſcœna loqui non erubeſcunt, atque etiã αισχεμυθέειν in ægris frequen-

In Pluto act. 2. ſc. 5.

tissimum, vt annotauit Hippocracrates. Execranda edunt: talia itidem patrant qui irã breui non deponunt, sed horrendas iras exercent. Multos pugnis onerant; propter odium,

3. & 4. Epidem.

Arma antiqua manus, vngues, dentesque fuerunt.

Contorsiones & obuersationes corporis ac membrorum sustinẽt: speciem fortasse ὀρχήσεως exercent, quomodo hoc tempore circulatores nonnulli faciunt, vt funambuli, petauristæ, gesticulatores. tales satis exprimit Gal. his verbis, ὀρχηστῶν αἱ σύντονοι κινήσεις ἐν αἷς ἄλλον μέγιστα, καὶ περιδινοῦνται στρεφόμενοι τάχιστα, καὶ ὀκλάσαντες ἐξανίστανται καὶ προσύρουσι, καὶ διαχίζουσιν ἐπὶ πλεῖστον τὰ σκέλη. Et Lacenæ mulieres retroflexis cruribus ita saltabant, vt calcibus

Id est, saltatorũ vehementes motus in quibus maximè saltãt & velocissimè volutati circũcirca vertuntur, nec non genua flectẽtes sursum exurgunt

atq; crura plurimum attrahunt diuaricãtq;

De arte Gymnaſ.

nates attingerent, quandoque cruribus alternatim inflexis, aliàs verò vtriſque vno eodemque tempore, vt ſcribit Mercurialis; atque etiam χειρονομίη pro exercendis ſanis & ægris corporibus antiquitus vſurpata fuit, vt 2. περὶ ἀφίτης habetur. Dum iſta conſpiciunt multi mirantur, cum tamen in naturæ cenſu nihil ſit quod non ſit vndecunque mirandum. Humi volutantur & ſeſe rotant: de tali volutatione

l. 2. περὶ διαίτης.

mentio fit apud Hip. in nomine ἀλίνδησις. Conuulſiones patiuntur: ſolitum illud in virginibus vbi è concha tetrum quid exhalat, tum ob impeditam ſeparationem immunditiæ, tum propter moram eius ſubſtantiæ quæ eſt eſſe quod eſt vt aliud ſit, dumque membranas aut neruos velli-

cat, ferit, aut replet, innumeras parit conuulsiones, dum verò caput occupat, ob spirituum animalium interceptionem ecstases excitat : nam stupor si validius incumbat & diuturnius insideat ἔκτασις dicitur & à nostratibus excessus, estque priuatio officiorum animæ sentientis, mouentis, & intelligentis. Immotæ namque manent, potius rigent, transfixæ non sentiunt, & tanquam Turcico Maslascho, aut opio sopitæ, aliquando nec respirant, sed jacent veluti mortuæ: talem vim lapidi Memphiti ex Ægypto tribuit Dioscorides. Ad interrogationem latio præsertim idiomate factam respondent: Imò interdum phrenetici non solum Romano idiomate, sed Græco, Chaldaico, aut quouis alio lo-

l. v. c. περὶ μεμφίτου λίθου

quuntur, & carmina componun
ligato rythmo, vt in hyſtorijs me
dicis habetur, & (vt volũt) ex lu
cidiore ſpiritu. Mens enim hu
mana ex Auicenna omniũ rerum
ſcientiam, omnium linguarum
notitiam in ſe complectitur. diſ
cuſſis nimirum denſis humoribu
eluceſcunt ſpiritus, quaſi ſcir
noſtrum reminiſci ſit apud Plato
nem. In vehementi etenim febr
fit humorum ebullitio, ſpirituum
agitatio ſubſequitur, & indè cõ
citatiſſimo motu quæ in eo la
tebat educitur peregrini idioma
tis notitia, non ſecus quam ex ſi
licis colliſione micantes ſcintillæ
eliciuntur. Chimici nullo nego-
tio quæſtionem abſoluunt, omnia
in omnibus ; vt & Parmenides
qui omnia vnum eſſe aſſeruit
Species Sacramentales integras è

ventriculo à calore naturali intactas regerunt : ſimile quid narrat naturaliterque fieri vult D. Auguſtinus. Occulta detegunt, omnes philoſophi præter Epicureos eſſe aliquam diuinandi facultatem hominum mentibus inſitam naturaliter, cenſuére ; etiamſi ea facultas rarò admodum, & in quibuſdam tantum ſit cõſpicua, quæ excitatur à vehementi calore vt in febre ardente, aut æquali intemperie ſpirituum & humorum. Nicolaus Florentinus refert ſe fratrem habuiſſe phreneticum qui multa prædixit quæ poſteà euenerunt, de quibus tamen ſanus nullam cognitionem habebat. Intellectui benè diſpoſito & à materia eleuato omnia poſſibilia eſſe aſſerit Princeps Abuali: Pomponatius intelligentijs hæc omnia

C. 24. l. 14 de ciuitate Dei.

Barricellus in horto geniali.

Fon. 4. l. de anima.

l. de naturalium effectuũ admirandorum cauſis

adſcribit. Hali Abenzagel quoties in eodem ſigno ijdem planetæ conjuncti fuére, hæc contingere putat; homines ſcilicet quibus ipſi præſunt ita inſtruendo dirigendoque, vt futuros eis euentus præoſtendant. Hoc arti Chaldæorum hoc eſt Aſtrologiæ iudiciariæ, atque etiam Necromanticæ à pluribus tribuitur. Illudque etiam idem videntur operari Alphitomantici ex farina vt Iamblicus aſſerit judicantes, quæ etiam diuinandi ratio optimè deſcribitur à Theocrito, Lithomantici à lapidib⁹ oracula deſumẽtes, Daphnomantici à lauro exordia præſcientiæ petentes, vt ait Proclus, quibus fauet illud Propertij

In Pharmaceutria.

Et tacet extincto laurus adulta foco.

Cephaleonomantici ex Aſinino capite diuinantes, Hydromantici

ex fontibus ſcita euocantes, Pyromantici ex igne vaticinantes, Coſcinomantici ex cribri ſaltatione, vt volunt Lucianus & Theocritus, de rebus certis eruditi ſeſe poſſe ſperantes, Criſtallomantici, & Catoptromantici è glacie ſpeculis aut Criſtallo vaticinia extorquentes. Dæmon enim tacitè rem quampiam phantaſiæ repreſentat, vnde diuinatio facilè conſequatur. Mulieres inſuper edentulæ atque vniuerſa nebulonũ caterua occulta detegere & futura prædicere pollicentur. Tale quid etiã Cingari cocti ſole, immundi veſte, intentique furtis confingunt; quanquam id ad reuelatam ſcientiam pertinere prudentiſſimi agnoſcant. Adde quod omnes hi modi prædictionum in lege diuina prohibẽtur, quia nul-

las in natura cauſas habent: *prædictio futurorum*, inquit D. Chryſoſtomus, *immortalis Dei duntaxat opus eſt.*

Ex his igitur ita poſitis & conſideratis nullum aliud præter naturale agens videretur, nec ineſſe ibi Cacodæmonẽ propter operationẽ probabilior haberetur ratio: etiamſi ignis realiter è virgunculārum iſtarum corpore ſeſe foras protruderet, cum id ſit in natura poſſibile: nam ad poſſibilitatem ſufficit aliquando factum fuiſſe. Præ audacia & ira lumen & ignẽ ex ſe profundere viſus eſt Alexander in India, Theodorici pater ſcintillas ex toto corpore emiſiſſe legitur, vt micãtes illæ flammæ hinc indè etiam cum ſono proſilirẽt. Licetus narrat ſe vt refert Rodericus Caſtrenſis, dum

De Meteo-

Nucenis in Insula Corsicæ medicinam faceret, Francisco Guido jurisperito familiariter vsum, qui sæpenumerò dum in lecto recumberet, & frictione brachium leuigaret, flammas euidenter excutere consueuerat, non aliter quam si aridæ truncum hederæ aut lauri confricasset. Imò & in belluis hæc aliquando deprehenduntur; In historijs enim proditũ est, Tiberij equum ore flammigerasse, nec sine ratione, in ira enim aut simili actione dum incandescunt spiritus, vapor quidam tenuis sulphureus è corporis latebris ad externas partes euocatur & ignescit. *ris microcosmi.*

Multi itaque philosophi ex superiorum enumeratione ac simplici consideratione mirari desinunt, & solam naturam agentem agnoscunt : Verum recordor me

legiſſe apud Cardanum *Philoſophos multa effari, quibus ipſi fidem non adhibent.* Ea propter medico more ruminemus ea, vt eorum recordatione veriori ſcientia animum paſcamus, & aliquantò longius ab opinione illa recedamus, adeamuſque hortos atque amœnitates ſapientum, vt ex eorum floſculis actionum Vrſulinarum Iuliodunenſium veritati coronam victoriæ texamus. Sed antequam illud aggrediamur dicẽdum, opinionem Auicennæ ab orthodoxa eccleſia damnari, neque à philoſophis admitti. Prætereà negat Auerrhois intelligentias ſingularia intelligere, non igitur vt vult Pomponatius ſingulares euentus declarabunt quos ipſæmet ignorant. Cœleſtes autem Angeli ſingularia cognoſcunt per ſpecies

innatas ſeu cõcreatas: quæ autem ſupergrediuntur naturales illorum vires, vident in verbo. Nec verior videtur Hali Abenzagel, protectio, inſtructio, & directio planetarum, vt multis rationibus demonſtrauit doctiſſimus Picus Mirandulanus. De cæteris autem quid poteſt inter mendaciorum centies centena millia, vnica perpuſilla veritatis imago, compluribus adhuc falſitatis nebulis obũbrata? quandoque enim temerè aut caſu aliquid prædicere aut cogitare, familiare garrulis, vt de Cingaris omnes norunt, & medici de his qui varijs turbantur imaginationibus compertum habent. Ad ea vero quæ à D. Auguſtino relata ſunt, *Multa incredibilia*, inquit Pomponatius, *refert quæ aut ipſe fatetur vidiſſe, aut à fide*

l. de incantationibus

dignis accepiſſe, ideo aut deceptus fuit ex relatione, aut per artem præſtigiatoriam ei apparuére, dũ viſum & reliquos ſenſus fallunt vt exemplis comprobatum eſt à Guillelmo Pariſienſi de vniuerſo. Atque ad hoc reſpondet appoſitè Ariſt. *non omne quod videtur & apparet verum eſſe*, alterutrum tamen ei contigiſſe ſatis manifeſtum fiet ex ſequentibus. Ignota intelligere linguarum idiomata, occultaque detegere, nullatenus phyſicam habere poſſunt ſubſiſtentiam. Veriſſimè namque dictum eſt ab Ariſtotele intellectum hominis non poſſe aliter agere quam phantaſmata intuentem, atque adeo nihil in eo recipi poſſe quod non prius fuerit in ſenſu, ejuſque ratio fusè aſſignatur ab Auerrhoe lib. de memoria & reminiſcentia

3. Metaph.

1. de anima.

Cum igitur animæ Vrſulinarum nullum aut minimũ vix vnquam conceperint Romani idiomatis phantaſma, vnde poſſet earum intellectus abſtruſiſſimas phraſes ejus idiomatis intelligere? Eſt certè intellectio animæ rationalis actio propria quamque extra organa poteſt exercere. Intelligere enim eſt de vniuerſalibus, & à materia ſejunctis cogitare, ſejunguntur vero à corporalibus phãtaſmatis vi intellectus agentis: quorum ergo nulla vnquam concepta ſunt phantaſmata, nulla poteſt eſſe intellectio. Iam verò vt intellectio eſſe non poteſt eorum quorum nulla ſunt phantaſmata, ita neque recordatio quorum non præceſſerit imaginatio, neque imaginatio quorum nunquam fuerit ſenſus, ergo quæ alibi fiunt

certò cognoſcere nullus poteſt per aliquam internarum potentiarum, cum talium nullus anteceſſerit ſenſus.

Verum jam nunc neceſſarium eſſe videtur rem propius attingere: atque, cum cujus ſit potentia ejus etiam ſit actus, vt ſi potentia ſit à natura, ab eadem quoque actum fieri ſit neceſſarium: ac è contrario. Omne autem id eſt neceſſarium quod impoſſibile eſt aliter ſe habere 5. Metaph. Conſequenter ſi actus ſit naturalis omnimodè, & agens erit naturale; ſi verò naturæ limites excedat, ſupernaturale eſſe aliquomodo videbitur.

Qui quidquid Iulioduni huc vſque actum eſt, naturale omninò eſſe contendunt, vel contextam accuſant fraudem, vel morbum

vel

vel vtrumque ſimul conjunctum. Notandum tamen actiones omnes in virginibus fieri, quarum pleræque nobiles ſunt, atque adeo prudentes & juſtæ, vt vult Philo Iudæus. Iuuenes multæ, & hinc minus inſtructæ, ἀπαίδευτος γὰρ ἕξιν ἡ φύσις 6. Epidemiων : talem namque diſpoſitionem natura non habet à natiuitate, ſed tempore & exercitio acquiritur. ſubjugales itaque forent vt inſtruerentur, nec imperio & voluntati impoſtoris tandiu obſequerentur; nam quæ facilè perſuadentur, ea minori temporis impenſa negligunt, imò nolunt vbi velis, vbi nolis cupiunt vltrò ; muliebris enim animus velle ſuum ſolum ſequitur, cæteraque poſt ſuum placitum ponit. Quædam à natura fuére debiles, & fortaſsè par

etiam imbecillitati membrorum, mentis acceſſit imbecillitas; nec incommodè quis in iſtas virgines dixerit quod in perſonam hiſtrionis Æſopi vulpecula ταυτὴ κεφαλὴ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. nihilominus nihil magis videtur varium ac flexibile; ſæpius vultum & ſermonem mutant quàm colores Chamæleon, & velut vmbræ cum corporibus, omnem in partem flectuntur, ac in ijs ſimplicitatem natiuam retinent ac indolem inculpatam. præ voluptate aut odio ad ſingulas voces, ad quas, alijs etiam loquentibus, erubeſcunt honeſtæ virgines, colorem non mutant. Nouimus Phyſiognomicon illud Eccleſiaſtes *Sapiẽtia hominis lucet in vultu ejus.* At minimè debiles, ſed forti præditæ forent ingenio, ſi vultum

cõponerent ad eas actiones,(quod tamen quàm ſit difficillimum viri ſciunt.) Inſuper decoro inſeruientes, motus inhoneſtos ſaltem aliquando ratione coercerẽt: nam virginem, etiam venalem, indecoros geſtus edere pudet: verum ne his quidem natiuus faciei color ſibi ſemper æqualis, colluſtrat genas: eſt enim corpus animi quædam imago, vt ait Sextus philoſophus. Prætereà ab eo tempore quo vexãtur ad hunc vſque diem, varijs quæſtionibus agitatæ, tot Exorciſmis defeſſæ, miris exercitatæ contorſionibus, ac horrendis conuulſionibus concuſſæ, ſi debiles, tales impetus non ſuſtinuiſſent, ſi fortes etiam longior mora, deſiderium aliquod mutationis in earum animis accendiſſet, (licet ſumma ſit patientiæ laus

πήματα πάσχειν, aſpera perpeti.) Et quamuis à natura gloriæ ſint auidæ mulieres, ſtultæ admodum viderentur, haberentque oculos, vt eſt in prouerbijs, in ſinubus terræ; Imò, (quod eas difficultas longè ſuperet) piſcaturam iam depoſuiſſent, ſi quid tale intentum foret.

Neque verò in mentem vſquam venerit illas arte magica vti, vt facilius & occultius hanc verſutiam exercerent: etenim vt Magi imperarent: nec tam graues inſultus, ità læto animo ſuſtinerent. Quin potius exercerent ea quæ Haquinus Noruegiæ princeps, Hollerus Magus, Ericus rex Suetiæ & complures alij narrantur effeciſſe: aut Hagbertam Vagnoſti filiam imitarentur, quæ inſolito ſuæ magnitudinis extenſioris

aſpectu, nunc contractioris, nunc exilis, nunc defluentis ſubſtantiæ: modò corrugata, modò explicati corporis ſitum, arbitraria motione transformare ſolita erat. Iuliodunenſes verò virgines ſine vlla arbitraria mutatione, multa ſuſtinere ſæpè obſeruatum à peritis, vbi ſeſe obtulit occaſio. Verumenim-verò omnes hæ rationes morales ſunt: ſequuntur phyſicæ.

Quædam ex his quæ agitantur Iulioduni, talis tantum ſolo affixæ, reflexo ad poſteriora corpore, firmiter per ſolidum tempus ſtãt, quod impoſſibile petauriſtis huc vſque viſum fuit, & *aſſerere agens præſtare aliquod impoſsibile eſt deceptio* Cap. 4. 8. Phyſicorũ. Impoſſibile autem videtur in natura ità recuruum hominem conſiſtere, primũ quia duæ partes, curua ſcilicet & recta,

in hac figura, non ſunt ejuſdem dimidiæ: ideò inter ſe non æqua-
1. περὶ ἑλίκων. les, vt demonſtrat Archimedes; at quod non eſt æquale recumbit in id quod majus eſt. Obliqua deindè non rotunda in hoc ſtatu eſt figura, ideò in ſolido puncto non quieſcet ejuſque centro; neque etiam ſi ſolideſceret calce & cæmento corpus, ſolido poſſet firmiter adhærere, quià perpendiculo
Vitruuius non reſponderet, haberetque in
cap. 11. l. 6. poſtica parte proclinationem, ſiquidem in pendente ſit onus, quod à libramento corpus depellit. Nulla itaque humana verſutia aut dolus id exequetur. Hoc tamen à prudentiſſimis æquè ac probatæ fidei hominibus diligenter obſeruatum accepimus. probi autem non decipiunt, cum ſeruile tantùm ſit mentiri, bonoque viro

& liberali indignũ : fraudes enim ac doli ſeruulis & ancillis in comœdijs tribuuntur.

Aliæ humi jacentes, non articulatim ſed erecto quaſi trunco & rigido corpore ſeipſis aſſurgũt: quod plures fide digni verbis & ſcriptis teſtãtur. At quid quid mouetur, vt docet Ariſtoteles de motu progreſſiuo loquens, debet niti aliquo quieſcente: aut ſi non quieſcat, oportet vt tardè moueatur; quod patet inductione: dum enim planta pedis mouetur quieſcit tibia, & dum mouetur tibia quieſcit os ſacrum; ſic dum mouentur digiti, quieſcit manus : qua mota firmatur cubitus: & hoc moto quieſcunt humeri : & illud appellatur internum quieſcens in animali, at tale nullum daretur, ſi rigidum corpus jacens ſe ipſo ſur-

geret ſine vlla flexione. Sic rigidum inſuper Vrſulinarum corpus quatuor robuſti homines ab humo tantillum eleuare irrito conatu tentarunt: quod tamen mox vnus vel infirmior nullo negotio abſoluit. Omne autem corpus graue cui nihil additum aut detractum fuerit, æquale in omni tempore pondus habebit, vt docet Archimedes: Separatio igitur corporis ab humo cui nihil additum aut detractum eſt, æquè facilis erit naturaliter omni tempore, & ab omni homine æquali virium robore prædito. Nonnulli tamen rationi minimè morem gerentes, ſed ſenſibus tantum ducti, aſſerunt funambulos talia præſtare, licet ratio contrarium doceat. Cur autem hæc affirment hanc rationem aſſignat Ptolo-

l. de æque ponderantibus.

meus: quia Mercurius rationi, luna animæ ſenſitiuæ præeſt; at Luna plerumque validior eſt Mercurio, duabus ex cauſis. prima quia longè major eſt corpore & validior lumine: altera quia Mercurius propter exiguam loci diſtantiam à Sole, ferè ſemper ejus radijs ſubjacet. Sed nec cum illis ratione orbatis diutius immorandum, cum omne illud impoſturæ ſit denegatum, quod natura qualicunque modo inſtructa nequit.

l. 3. de Aſtr. iud. carp. 14. t. 65.

Atque etiam eiuſmodi eſt regreſſus ſpecierum Sacramentaliũ: nam naturæ limites excedere, nemo in medicina verſatus inficiabitur; & hoc à nullo adhuc impoſtore verè peractum, inconfeſſo eſt. Etenim aſſumptus in ore cibus per œſophagum rectarum fi-

brarum beneficio, quæ ſupernè deorsùm tendunt ex Gal. & muſculorum qui pharingem mouent, deducitur & attrahitur. Omne trahens eo fine trahit, vt fruatur tracto: ideò ventriculus beneficio fibrarum obliquarum cibum retinet, donec ſit perfectè conuerſus in chylum; ſi quidem retentio ſit pars, finis, & perfectio attractionis: tandem quod perfectè coctũ eſt toti corpori communicat: vnde 7. Colliget appellatur princeps communicans. Quod verò ſemel ità aſſumptum eſt, pro nutu & arbitrio voluntatis, ſeparari ab ingeſtis, & ſurſum ad os remeare minimè poteſt, cum nullas aſſignauerit natura partes quarum miniſterio ſtomachus hoc poſſit exequi: nullũ namque circa ventriculum natura huic motui deſti-

Cap. 8. l. 4 de vſu partium.

nauit muſculum, imò (ne cui occulta muſculorum internorum actio, dubitandi anſam præbeat) nullum efformauit qui ventriculum vel leuiter tantùm attingat: ſed digeſtione perfectâ aut irritatâ naturâ ſeſe exonerat per inferiora, & aliquandò ſurſum per vomitum, abſque miniſterio facultatis cognoſcentis in ventriculo, nam ſic nec noxia attraheret, nec ea retineret. Neque in hac actione laudanda eſt facultas ſecretrix quam ſtatuit Auenzoar, quâ purum ab impuro ſeligat vẽtriculus: Etenim quæ vomendo efferũtur cõfuſa paſſim, & à calore natiuo immutata ſecum abducunt, eo ordine, vt prius liquida, mox ſolida ſequantur. Cum è contrà Species conſecratæ, illibatæ & ſolæ redeant, etiàmſi liquida ſuper

2. Colliget cap. de iuamento mẽbrorum officialiũ.

hauſta fuerit, quæ alioquin etiam natiui caloris actionem diſſoluendo multùm juuat. Neque quis obijciat in piſcibus admodum voracibus dum alios fame vexati inſectantur, ad os vſque ſtomachum reuolui; aut in hiatulis quos συνόδοντας vocat Gal. ventrem in ore reperiri: id enim in homine fieri non poſſe docet Anatome, quæ œſophagum ſpinæ firmiter per ligamenta annecti oſtendit. Nec magis euincent qui ruminationem in brutis præſertim cornigeris, ideò fieri contendunt, quod non ſatis manſum alimentum dentibus iterùm committi debeat; id enim ex peculiari ventriculi conſtitutione, & ex quibuſdam multiplicitate dependet. Idcircò cum vnicus in homine reperiatur, clara erit argumenti ſo-

lutio. Magis vrgeret quod annotauit Hieronimus Fabricius ab aqua pendente, ſeruatam in nobili Patauino per totum vitæ tempus ruminationem: cujus tamen hiſtoria, pro vt ab ipſo recenſetur, planè conuincet regreſſum Specierum in Vrſulinis eſſe omninò contrà naturam. Interrogatus enim num illi libera eſſet ruminatio, reſpondit fuiſſe omninò coactam, idque ſibi fuiſſe perpetuum quolibet tempore, profeſſus eſt. At verò Iuliodunenſes Vrſulinæ nec ſemper nec omnia alimenta regerunt, ſed conſecratas tantum ſpecies, eaſque ſolas, & eo etiam tempore, quo coctio in ventriculo ſi non perfecta, ſaltem inchoata eſſe debet. Præterà reuocatas in ore ſpecies, non ruminant, ſed palam exhibent, & ad

Tract. de varietate vẽtriculi.

imperium Sacerdotis iterum deglutiunt. Ex quibus ſatis appareret, quàm ex relatione deceptus fuerit D. Auguſtinus dum ait. *Sunt qui eorum quæ vorauerunt incredibiliter multa & varia, paululum præcordijs contrectatis, tanquam de ſacculo, quod placuerit integerrimum proferunt;* Etenim *quandò aliquid agit, ita agit ſicut aptum natum eſt agere* 2. phyſicorum. Igitur cum deſit inſtrumentum, nec idonea facultas adſit: certum eſt ad nutum & voluntatem contentorum in ventriculo regreſſum, cum electione fieri non poſſe. Verſutiam itaque, qualiſcunque fuerit, vel admodum ſublimem, id non poſſe, ſatis manifeſtum eſt.

Verum opponet fortaſſe quiſpiam, illa à nobis non proprijs oculis obſeruata: fateor, quia dum

aderamus non ſeſe obtulit occaſio: ſed curiosè obſeruauimus, tàm in Agneta, quàm in Izabella, palpitationes fibrarum in ſoporibus, contorſionibus, & corporis obuerſationibus, quæ neque pro arbitrio incipiunt, nec ad voluntatem deſinunt, malamque potius corporis diſpoſitionem denotant, quam impoſturam. Et cum actionis omnis quæ actu fit, cauſa proxima ſit, vel ſanitas vel morbus, & tã varias actionũ aut ſymptomatum ſeries à ſanitate produci ſit impoſſibile: multi philoſophi magis admirationi ſtudentes quam veritati, ad morbum referunt; ad imaginationem nimirum læſam, ex diſpoſitione melancholica, omnibus propter viciniã communicata. Tantæ eſt efficaciæ melancholia, cuius ſæuitia &

poteſtas, nullo alio verbo commodius declarari potuit, quàm nomine *Melancholiæ*. Conueniuntque omnes imaginationis in diſpoſitione melãcholica, vim eſſe maximam, præſertim circa corpus proprium imaginantis, quod ratio & experientia docent: ratio, quia imaginatio dum reflectit ſe, ſuprà rerum objectarum ſenſu perceptarum ſimulacra, excitat potentiam. Ideò D. Thomas optimè tradidit imaginationem, poſſe in corpus imaginantis omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione; facultati enim imaginatiuæ ſpiritus & ſanguis ancillantur. Experientia patet in noctambulis, prægnantibus, gullonibus, & ſimilibus. Etenim quatuor animi pathemata dominantur corpori illudque

Marcil. Ficinus

ludque vndique mutant, appetitus, voluptas, metus, & dolor. Et vt res exemplo apertior fiat. Mulier in prægnatione ob insignem appetitum fœtum afficit, vt, si malum granatum aut fragum appetat, mali granati aut fragi figuram fœtui imprimit: appetitus quippe mouet animam, quæ vbi res optata deficit, ex omnibus corporis partibus aliquid suggerit quod ei proportione respondeat. Anima itaque vt prægnanti statim inseruiat, omnes corporis partes, quasi promptuarias cellulas inuisit, vt si quid appetitui simile sit, ei offerat: mouet autem præcipuè sanguinem, è cujus scatebra atque irrigatione toto gestationis tempore fœtus cũ alimentum capiat, & cibus in aliti substantiam conuertatur, mi-

c. 1. & 13. l. de Theo. log. Platonica.

rum non eſt, ſi quædam cibi ità diſpoſiti ſignacula in fœtu remaneant. Gullones nonnulli epulas quaſdam auidius optãtes, ſaliuam ſuam ſimili quodam ſapore inficiunt. Moleſti guſtus recordatio prouocat nauſeam, imò nonnunquam ſimili cogitatione aluus ſoluitur. Sed & in corpus alienum plurima poſſe per radios exiſtimant poſt Auicennam, Petrus Aponus, Alkindus, Paracelſus, Pomponatius, Cataneus, & eandem imaginationem producere propter ſpeciei ſimilitudinẽ: nam vt inquiunt, vapores figurati tali ſpecie, & ſic affecti, poſſunt eadem ſimilitudine imaginationis aërem figurare realiter & ſpiritualiter. Contrarium tamen multi Philoſophi & Medici docent. Sed quidquid ſit, quod communica-

Fen. 4. l. 4. de anima.

tur eſt communicabile: nam non omnis ægritudo ægritudinem generat, vt ſcriptum legitur 1. problem. Deindè nullus morbus eſt formaliter contagioſus, vt Capiuaccius colligit ex Auicenna & Gal. multi tamen cauſaliter ſunt & communicanter contagioſi: quo ſenſu loquitur Ariſtoteles cum φθισικὸς putridum expirare ait. νοσερὴ etenim ἀπόκρισις extrà ſuum ſubjectum ſeſe effundens, alia corpora ſimiliter afficit. talis morboſa exhalatio apud Hip. eſt quid Diuinum: Auicenna tale ſeminarium *ſubſtantiam extraneam, complexioni Spiritus contrariam, aëri permixtam appellat*: Qui poëtas imitari volunt, è pixide Pandoræ euolaſſe aſſerunt, & nunc quoque in aëre circumferri, ac hominibus malam valetudinem inferre. Multi cœle-

Probl. 4.

Fen. 1. l. 1. cap. de ſubjecto Medicinæ. l. de diff. morborũ.

ſtem aliquã causã accuſant veluti Saturni poſitum in Dodecatemorio cui loca ſubjecta ſunt. νοσερὴ itaque ἀπόκρισις aliquid eſt, ſiquidem ab ea praua corporis diſpoſitio inducatur; deferturque de ſubſtantia in ſubſtantiam, de corporibus in corpora, beneficio aut μιασμάτων, aut ſpirituum, aut vaporum. taliaque μιάσματα putrida & valdè affecta eſſe debent, alioquin ſpirituum alterationem & humorum excitare, ac ſimilem affectum parere minimè poſſent: qualia è phthiſicis, leproſis, & ſimilibus exhalãt, vt quæ Marci Antonini temporibus ex arcula in templo Apollinis emanaſſe vniuerſæ Græciæ & Italiæ pernicies teſtatur; & qualia ſæpè exhalaſſe è re infecta hiſtoriæ fidem faciunt. Alias enim amitterent

illam qualitatem, aut ſaltem à medio retunderetur: nam μιάσματα, ſpiritus, aut vapor, quibus qualitas communicabilis adhæret, ſunt corpora tenuia & exilia valdè: quare niſi qualitas illa fuerit potens extrà corpus poſita, virtute impreſſa facilè deſtituuntur. Itaque ea quidem in corpore imaginantis fouentur, & diriguntur ab ipſo imaginante: ad extrà autem à medio corrumpuntur, & carent rectore. Scimus ex corpore Muliebri aliquando tetros vapores exhalare, vnde illud Hæſiodi de balneo muliebri. *In fine 2. op.*

μηδὲ γυναικείῳ λούτρῳ χρόα φαιδρύνεσθαι ἄνεῳγα *Neque in muliebri balneo corpus abluito vir.*

Quo loco vetitum apparet viris ingredi balneum fœminarum ob ſalubritatem, quod à corporibus

muliebribus, ac menſtruis recrementis, effluxus quidam exeant, quibus ſi viri inficiantur, tàm per aquæ communis, quam ſolius aëris ingreſſum, ſtatim eorum ſanitas inquinatur. At ex menſtruali euaporatione nec melancholia generatur nec deprauata imaginatio: alioquin multi quotidiè inficerentur. nec enim video quomodo vehemens imaginatio ità afficiat μιάσματα, vt poſſint in alio ſimilem producere, quod abſolutè fieri nequit in corpore prius non apto & diſpoſito. Aptum porrò fuerit ſi ſit intemperatum: nam in operationibus deprauatio vt plurimum fit à caliditate & ſiccitate, vt ablatio & diminutio à frigiditate & humiditate immoderatis 1ª 3ª vel quia intenſa caliditas nimium mobiles

Cap. de ſignis ſum-

reddit ſpiritus animales, vel quia multum reſoluendo ſpiritus conſumit, vel quia humores cerebri conuertit in vapores corruptos, vel quia nimium aliundè attrahit vapores ad cerebrum: quæ omnia alterando & permutando ſpiritus & organa, neceſſariò immutant potentias in operationibus ſuis. Si tamen quis legat Gal. lib. artis Medicæ, reperiet quod licet ad omnes operationes temperata natura vtilior ſit, nihilominus tamen ad ſapientiam in homine, cerebri ac ſpirituum ſubſtãtiam præ-requiri tenuem & claram, cum modica permixtione bilis & melancholiæ. Cum enim ſapientiam perficiant duo, velocitas nimirum diſcurſuum, & iudicium graue de inuentis; author velocitatis eſt bilis, grauitatis & judicij melan-

ptis ob operationibus moralium virtutum.

περὶ φύσιος ἀνθρώπου.

cholia, (vt ex Hip. conſtat) quod vtrique humori juncta ſit ſiccitas, quæ dupl ci nomine facit ad ſapientiam : tum quia ſiccitas tollit excrementa quæ diſcurſum & luciditatem ſpirituum impediunt, tum quia facit ad quietem. Cui ſententiæ adſtipulatur illud Galeni *Splendor ſiccus, mens prudentiſſima.* Si igitur quædam ex Vrſulinis ſint nimis humidæ, in deprauatam imaginationem non incident: ſi quædam ſicco & melancholico ſint à natura temperamento, prudentiores erunt, nec tàm facilè delirabunt : niſi prius corruat naturalis earum diſpoſitio, quæ nunquam ſine præcedente cauſa manifeſta euertitur: inter quas numerari ſolent exercitatio corporis vehemens aut animi, immoderata humorum eua-

l. quod animi mores.

cuatio, ciborum calidorum & ſiccorum actu & potentia vſus frequentior, vigiliæ immoderatæ, in aëre calido & ſicco longa commoratio, retentio euacuationum conſuetarum, menſtruorum, hæmorrhoidum, aut varicum ſuppreſſio: ex quibus vel tota corporis temperies, vel particularis cerebri, vel hypocondriorum, lædatur, & tota maſſa ſanguinea, vel in vaſis cerebri humore atrabilario conſpurcata ſit. Verùm aliquam harum cauſarum præceſſiſſe in Iuliodunẽſibus Vrſulinis nullus obſeruauit, nec de illis vlla quærela fuit: quod inſuper verũ eſſe nemo dubitauerit qui natiuam illarum conſtitutionem, educationem, & vitæ religioſæ ſanctimoniam ritè ſpectabit. Adde quod vt talis νοσώδης διάθεσις corpori adueniat,

multæ conditiones reperiri debẽt,
In conciliatore diff. 155. vt vult ipſe etiam Petrus Aponenſis, quæ ſecundum ejus mentem rarò coëunt in vnum, adeò vt vix vnus reperiatur homo æqualiter diſpoſitus. Quam mirum igitur foret in vno & eodem Cœnobio, ex viginti, nouem reperiri ſimili cum diſpoſitione corporis! Porrò talis diſpoſitio multiplicatur in nigris, piloſis, extenuatis, & duram carnem habentibus, vt
C. 7. 9. Theorices. 1. contin. tract. 9. cap. 1. ſatis dilucidè docent Haliabas & Rhaſis, & difficilè admodum in ſexu muliebri ſi Cælio Aureliano credendum eſt. Et curioſè Gal. dum ex habitu temperiem dijudicat, monet molles, candidos,
3. de l. aff. obeſos, nequaquam habere humorem melancholicum. At quædam inter eas virgines eam conſtitutionem obtinuerunt, eam-

que hactenus feliciter conſeruarunt. Dein ferè omnes in florenti ætate reperiuntur, quæ ætas veri optimè temperato comparatur, quò fit vt in omnium ætatum optima, temperamentum vix lædatur ab ijs quæ extrinſecus occurſant, vt docet Gal. Benè itaque temperata corpora & pura diù reſiſtunt antequam mutentur. Cum ergo ita ſe habeant potentiæ ad operationes educendas, quemadmodum ſe habent earum organa & inſtrumenta; ſi hæc duo ſint integra & benè diſpoſita, neceſſum eſt bonas & integras operationes perfici, vt contra Eraſiſtratum & Archigenem demonſtrat Gal. Si verò ambo corrupta ſint, neceſſarium eſt ab imaginatiua potentia imaginationes produci corruptas. Nec etiam

3. *Aph.*

l. Artis Med.

1. de l. aff.

fit error in imaginatione ex ſimplici intemperie organi aut inſtrumenti, ſaltem permanens, ſed debent coinquinari humores aut vapores: verbi gratia, Ephialtes eſt error in phantaſia, quia ponderis cujuſdam ſpecies occurrit phantaſiæ, non tamen vrget talis imaginatio, niſi pectoris muſculis aliquo vel humore vel vapore oppreſſis: vnde apud medicos grauiorum morborum prænuncij ſunt incubi. Verum quia hyeme materiæ melancholicæ craſſiores ſunt, ac in profundis partibus immerſæ, quæ adueniente vere diſgregantur; & quia in æſtate humores melancholici multiplicantur per viam aduſtionis, & cum autumnus venerit propter complexionis ſimilitudinem mouentur materiæ, eò quod *ſimile ad-*

ditum ſimili faciat ipſum furere autho- *Aphoriſ. 2. comment. in hæc verba in morbis minùs periclitantur.*
ritate Diocris ; remitti cum ratione tales affectus in hyeme ac æſtate, & periodicè augeri experiẽtia quotidiana manifeſtum fit, & confirmatur authoritate Auicennæ qui in vere & circa finem autumni omnes morbos melãcholicos augeri 1a. 3i. ſcripſit. Nulla verò talis periodus in Vrſulinis obſeruata fuit, vix ergò crediderim eo morbo detineri. Quin imò cum eas communis & idem aër ambiat, qui cœleſtis nuncius nuncupatur apud Ægyptios, quod cœlorum ſpiracula hinc indè accepta diſtribuat, & ab Hippocrate dicitur ſpiritus corpus noſtrum ambiens, eique circumfuſus, omnium quæ corpori accidunt author & Dominus, cui ea quæ natura conſtant, & cor-

C. de melanch.

1. περὶ φυσῶν.

pora noſtra conſeruandi & corrumpendi, vis ineſt omnium maxima ; quare non omnes virgines æque afficit quæ eundem ſpirant, atque etiam (vt de ratione victus plura non dicam) ſimili domicœnio vtuntur ? Cur aliquas inficit quæ minus hiſce malis videbantur obnoxiæ, quia minùs diſpoſitæ ? Cur juuenes & non adultas ? Cur ſolas virgines ? cur æqualiter omnes vrgeat ? cur in tãto delirio nulla diuerſitas ? cum Gal. expreſſis verbis affirmet *melancholicis per imaginationem viſa non eodem genere contineri, ſed varias corporum diſpoſitiones, diuerſas planè ſpecies ſequi.* Iuliodunenſes enim Vrſulinæ & quas extra cœnobium ſimilis furor agitat, diuerſis conſtant temperiebus, & diuerſis omninò diſpoſitionibus : & tamen

c. 6. l. 3. de locis affectis.

eandem Dæmonomaniam imaginantur. Cur tunc potiùs quàm nunc? cum nunc non minùs videatur intensa imaginatio quàm tunc. Cur deindè sæpè ad se redeant in die, suæque mentis compotes deprehendantur? seriaque tunc habeant colloquia, etiam de Dæmonomania, & credita in eis possessione differentes? cum permanens sit ἰδιοπαθικὴ cerebri melãcholia, nullumque det tempus assignabile quo non delirent saltem in hoc. Quouis dato stant vndique angustiæ. Occulta detegunt, linguarũ idiomata & phrases mente concipiunt: quæ in istis virginibus à dispositione suprà scripta minimè prodeunt. Imaginatio namque non recipit speciem de re non nota: qui nusquã vidit, nonnisi obscurè vel im-

perfectè admodum colores imaginatur. Deindè cum imaginatio non operetur nisi pro dispositione organi & instrumenti, Specierum sacramentalium regressũ imaginationi nemo tribuet, quod desit aptum & sufficiens instrumentum. Quod Iulioduni actum fuit die xx. Maij anni superioris & testimonio nostro confirmatum, vulnera nempè quæ pectori Ioannæ de Cozes inflicta fuére, nemo ad imaginationem læsam referet. ἔκστασις seu sopor grauis ex interceptione spirituum propter obstructionẽ inducitur, omnis autem obstructio tàm apud Græcos quàm Arabes est à crasso, nam omne tenue quatenus tenue est deobstruens, saltem illud crassum ab imaginantis facultate tam subitò transmissum erit vapor, qui

qui non ita facilè ad imperium Sacerdotis reſoluetur ; nam ad reſolutionem cuiuſuis ſubſtantiæ, etiam vaporoſæ , tempus requiritur , nec minimum, vt in hyſtericis affectibus quotidiè obſeruatur. Deindè ſi intercepti ſint ſenſus per vim illam imaginantis, quomodò vocem & loquelam Sacerdotis audire poſſunt, vt imperio morem gerant , ad reſolutionem cauſæ obſtruentis ? nam extemplò ad prolatum verbum parum reluctãtur, pauſamque illicò faciunt certaminis: dum enim Exorciſtæ præſentes eſſe jubent, ſtatim dicto obedientes adſunt. Morbi autem, inquit Celſus, *non verbis ſed remedijs curantur.*

Neque verò magis intentum aſſequentur, ſi cum imaginatione deprauata conjuncta ſit decipiẽdi

voluntas, ſi modò rem ſuis momentis ponderare liceat. Nam dum impoſtura aliquid intentat, impeditur ab imaginatione læſa, non in eo ſolum quod deprauatè ſpecies dignoſcat, ſed quia non datur talis deprauata imaginatio perſeuerans, abſque conſpurcatione ſpirituum, ex multis craſſis, & obſcuris vaporibus, qui ſtatim ad partem agitatam cum calore, & ſpiritu deferuntur; illucque detruſi morà aliquid pariunt præter intentam actionem: nec ſtatim conquieſcent etiamſi fraus imperet, quia regreſſus non ita facilis. Eſſent prætereà duæ efficientes cauſæ vnius effectus, quod eſt contra Philoſophũ, qui vult *vnius cauſæ quatenus vna, vnicum eſſe effectum, & vnius effectus, quatenus vnus, vnicam eſſe cauſam.* Effectus enim

4. Metaphyſ.

qui non eſt vnus, à naturali cauſa per ſe eſſe non poteſt. Et ſine cauſa aliquam actionem dari, non eſt imaginabile. Corpus autem humanum, ſuas actiones bonas pariter & malas, per partium diſpoſitiones conuenientes & incõuenientes exercet; diſpoſitio naturæ congruens, eſt ſanitas: incongruens, morbus nominatur. Sanitas porrò eſt affectus naturalis actiones primò producens bonas & laudabiles; at morbus huic cõtrarius, actiones primò lædit. Petauriſtæ admirabiles corporis geſticulationes, inuerſiones, & contorſiones, cum laudabili temperie, & membrorum conſtitutione requiſita: virgines morbo affectæ, ſuas contractiones, conuulſiones, palpitationes, jectigationes, cum totius, vel partis diſtemperie, ea-

rumque plenitudine perficiunt. Ergo, si luciditas spiritus in funambulo vt perfectè agat, sit cerebri quò ad imaginationem quodammodò sanitas; simili prorsus ratione obscuritas, quam tenebrarum nomine Gal. indicauit, in deprauata imaginatione virginis morbus erit. atque sicut actio bona; mala esse non potest, nec è contrario; ità nec sanitas potest esse morbus, nec morbus sanitas. Si ergo daretur, sanitatem prauæ actionis causam esse, concedi etiam oporteret sanitatẽ esse morbum: idcircò cum non possit sanitas esse morbus, nec opus morbi proprium efficere potest. Igitur satis impossibile ex his videtur, supra scriptas actiones, & alias multas, quas breuitatis causa omitto, in Vrsulinis Iuliodunensi-

bus ab impoſtura & imaginatione ſimul pendere.

Nonnulli itaque tam ex his quæ hactenus dicta ſunt, quàm quod non ità frequenter, minuſque incaleſcant hæ virgines, poſt tot concuſſionum & conuulſionum inſultus, extrà naturam aliquod agens, & aliquo-modo ſupernaturale agnoſcunt; cum ſecundum philoſophos omnis motus excitet calorem. Quod & authoritate, & experientiâ confirmatum videretur, ſi aqua rapidiſſimo motu concitata, aliquantulum incaleſceret, aut aër motu non refrigeraretur. nec in eo admittenda eſt cum pleriſque diſtinctio liquidorum à ſolidis, nam quotidiè eliſionem motu nubium fieri, oculorum fide conſtat : neque magis probatur diſtinctio viuentium ab

inanimatis, cum quædam animalia longo, & violento motu concitata, ſæpè non incaleſcant. Niſi etiam conſuetudo vim actiomatis retunderet ; antiqua enim fuit Heracliti ſententia, vt ſcribit Alexander lib. de Fato, ἔθος γὰρ ἀνθρώπων ὁ δαίμων, τοῦτ' ἐστιν ἡ φύσις, nihilque aliud eſt quàm habitus, id eſt qualitas addita motui, puta celeritas, ordo, numerus, jam in membris ita adhæreſcens vt extemplò ſuas actiones depromant: adſcititiàque quædam naturà videtur Galeno, quæ enim magis ſimilia ſunt, minus ab inuicem alterantur, tale eſt corpus aſſuetum cum re cui aſſueuit: vt è contrariò omne nouum valdè immutat ſenſum. Verbi gratia, repentina fit læſio, illata luce ijs qui in tenebris diu commorati ſunt, quia in-

2. de motu muſculorũ.

assuetis nouæ sunt species: Cytharœdis digiti exercitatione habiliores redduntur: qui ob leues occasiones irascitur, facilè irascetur, & iram sine noxa feret. Et hoc animaduertens Hip. dicebat, consuetos solidos labores ferre, etsi sint imbecilles, aut senes, non consuetis fortibus, atque juuenibus, facilius ferre. Insuper ex Aristotele qui sub Sole stant, vehementius incalescunt, quàm qui mouẽtur: nec vulgaris illa, penitus absurda videtur opinio, à prandio standum ad excitandum natiuum calorem; nam eo sensu Hip. alimenta dixit ὑπεκκαύματα. Prudenter itaque Aristoteles judicauit *consuetudinem esse fortissimum impedimentum ad percipiendam veritatem.* Verùm nec à motu omnis homo manifestè incalescit, & ratio est,

ἀφορισμῶν. 2

Probl. 34. 5. part.

1. ἀφορισμῶν.

2. Met. c. 14.

quia non omnis homo ſiccus, res enim humidæ igni appoſitæ non vt ſiccæ incaleſcunt; in muliere namque calor vix intenſior deprehenditur à motu, dilutus humore multo, in viro vero maximè tactum ferit, eò quod acuatur ſiccitate. Adde quod non parum me moueat doctiſſimi Mareſcoti D. Medici Pariſienſis ſententia, qui corpus humanum exiſtimauit, reluctante natura tandiu pati non poſſe à Dæmone, abſque mutatione.

Cautiùs itaque ſupra naturæ ordinem eſſe cenſemus, quod à tot tamque ſæuiſſimis doloribus, inſultibus epilepticis, terroribus, contorſionibus, cæteriſque frequentibus ejuſmodi actionibus, quibus miſerè exanimantur, & dilaniantur Iuliodunenſes virgi-

nes, quod inquam, in earum ſanitate poſt duos annos elapſos nihil immutatum ſit; imò & quæ frequentioribus morbis vexabantur, optima ſanitate nunc fruantur: quod apud Medicos eſt impoſſibile. Nam ſiue libera voluntas, ſiue deprauata imaginatio id præſtet, erit actio facultatis animalis corporis viuentis: omnis autem actio permanens, & frequens, vt rectè perficiatur, calorem natiuum ab inſtituto naturali auocat: tuncque imminuitur concoctio ciborum, dum fit concoctionis tempore: vnde excrementorum flatuumque prouentus: omnis generis humores congerit, obſtructiones multitudine accerſit, viaſque contrahit. Et hic eſt ordo naturalis ad morbos. Caloris contractio concoctionis

ex Hip. præcipua cauſa eſt, quod experimentum ſuadet, ventres enim hyeme calidiores; concoctionis igitur deprauatæ cauſa peculiaris erit ejus aliò euocatio. Atque ex his cenſentur eſſe quæ calorem natiuum deſtruunt, & putredinem augent, magnæ corporis agitationes, ſatis frequentes in hiſce virginibus; quæ pro vt eſt in corpore apparatus morboſus, putredinem excitant. Sufficiens autem reperitur apparatus in ijs ſecundum Conſiliatorem in quibus mœſtitia perſeuerat: vix enim perſeuerare poteſt, quin aduratur ſanguis, ex quo generatur cordis palpitatio, rugitus in ſtomacho, arteriarum pulſatio ℞. ℨ. Demum ita diu noctuque agitantur, vix vt eis horula relinquatur, qua ſomnum placidè capeſ-

cere poſſint. *Maximum* inquit Trogus *peruigiliæ malum*; nam ſomnus ſecundum Tertulianum *eſt recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinis, pacator operum, medicina laborum.* Vigilijs eum ſuccedere oportuit, qui diſſipatos ſpiritus reparet, & vires reficiat, recurrente ſcilicet calore in viſcera, vt functiones naturales melius perficiat; proptereà, inquit Auerrhoes, niſi vigilias ſomnus exciperet, perirent ſenſus, ex conſequenti vita. At virgines iſtæ ſine recreatore, & redintegratore vigent, ſine probatore in eis morbi ſilent, ſine pacatore in interiore animi parte quieſcunt, ſine medicina recreantur, aliò auocato concoctore digerunt, diſtribuunt, & aſſimilant, commoto apparatu morboſo valent.

C. 43. l. de anima.

Hæc dum conſidero, non habeo quid dicam, *niſi ô cœcas hominum mentes, ô pectora cœca!* magis Fœlicis Plateri Medici doctiſſimi miror diſcurſuum velocitatem, & judicij firmitatem, qui in vrbe quadam Heluetiæ, cum primo aſpectu vidiſſet robuſtum hominem, humi proſtratum, pedibus retractis, manibus contortis, colloque, quod mirum, inuerſo, adeò vt facies ponè reſpiceret, trunci inſtar immobilem, mutum, & ſurdum: poſthabita omni exactiori conſideratione medica, ſtuporem Dæmoniacum eſſe pronuntiauit. Equidem à cauſa naturali ſtupor frequentiſſimè generatur, nihilominus conditio adeſſe debuit quæ naturæ cancellos ſuperaret: neque Dæmon quicquam vt plurimum con-

l. 1. Obſeruationum.

fert, præter conditionem ſine qua effectus iſte non produceretur. Ideò Iulioduni eſt in vbi propter operationem Dæmon, & in hoc vbi, hoc eſt in virginum corporibus, propter hanc operationem, ſicuti quæ ſunt in loco, ſunt propter terminorum præſcriptionem, & quæ ſunt in hoc loco, propter hanc præſcriptionem. Quapropter ex leuiſſima occaſione adſunt, eorum namque eſt quoduis penetrare, nulla negligere, ſcrutari omnia muſcarum more: nihil poteſt illos clam haberi, nec ſacrum nec profanum quicquam eſt, quo non adſint: excludas, extrudas, exturbes, reuertentur; reperient aliquam rimam: in virginibus autem rima non deeſt, plus enim habent imaginationum, & minus prudentiæ.

Placet hic annotare quod impoſtor omnium hominum qui vnquam extitére nequiſſimus Agrippa ſcripſit. *In magnis*, inquit, *operationibus, maximè poſſunt ſimplicitas ingenij, & firma credulitas; quocircà ijs vt plurimum Dæmones occurrunt; Conſtantes autem animi, audaces, & à timore alienos fugiunt.* rarò ergo ad viros accedunt, facilius adoriuntur virgines, aut ex humiliori plebecula obſcuros homunculos ſimili furore agitant. Nec propterea videntur accuſandæ Iuliodunenſes Vrſulinæ, viris enim bonis res aduerſæ interdum adueniunt, ſed, vt vult Pythagoras ὑπάνυ πολὺ, imò Demetrio nihil videtur infœlici⁹ eo, cui nihil aduerſi cõtigerit. Ideò illud Ioannis 9°. poſſumus afferre, in earum conſolationem vbi loquitur D. noſter Ieſus de

l. 3. Occultæ Philoſophiæ c. 31.

homine à natiuitate cœco, *nec hic*, inquit, *peccauit*, *neque parentes ejus*, *ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* An dederint occaſionem vel non, judicio Eccleſiæ relinquendum eſſe exiſtimauimus. Non eſt igitur quod dicam amplius, hoc vnum tantum valdè efflagito, tuum quippè erga hæc ſcripta animum, & aſſenſionem, quod pro ſumma tua humanitate, & ſingulari erga me beneuolentia ſpero. Hæc ſcripſi quando per artis medicæ exercitium licuit, optaui autem ſæpè otium concedi, ſed illud quam exiguum contingat in artis exercitio verſanti, facilè agnoſcis, qui quantum curarum, moleſtiarum, aut laborum praxis ſecum ducat, quotidiè experiris.

IN ACTIONES IVLIODVNENSIVM VIRGINVM

FRANCISCI TIDOVX

Doctoris Medici Pictauensis

Exercitatio altera, prioris Apologetica.

Ad eruditum Lectorem.

IN ACTIONES IVLIODVNENSIVM VIRGINVM

Exercitatio altera prioris Apologetica.

QVOD procerum pietas, aliorũque turba, à me precibus efflagitauit : id in priori Exercitatione mea effeci; multorũque votis in ejus editione satisfeci, ne pro veritatis tutela ratio deficeret : & ità agere conatus sum, quod Hipp. à veris optat Medicis, nimirùm ὑποτελματίζεσθαι. Existimaueram etenim, me certis satis demonstrationibus, rei Iulio-

l. περὶ ἐυχῶν.

dunenſis veritatem, ab ignorantiæ tenebris, contra perſonatos Medicos vindicaſſe; ſiquidem non niſi omnibus ordine diſpoſitis, vera methodo libratis, expenſiſque vtrinque rationibus, ſententiæ meæ, pro parte affirmatiua lancem inclinaui; poſtquam ad eam Illuſtriſſimi Pictauenſium Antiſtitis prudens me animauit authoritas. Nemo è bonis, nemo è magnis, nemo è doctis fuit, qui ſummis laudibus hocce conſilium non extulerit: ſed ne quid omninò deeſſet, votum & animus mihi fuit, omnibus placere, quod melioribus tantum contigit; & ſic didici, quàm ſit difficillimum culpam omnem, & reprehenſionem effugere, quàmque difficile Ioui quidem ipſi, omnibus gratum eſſe. Equidem ſcio quàm nõn fa-

cile ſe nouitas apud quoſdam inſinuet: res enim omnis noua hoc infortunio mactatur, quod ſit difficilis: originem, liuor ſolet concutere, progreſſum, calumnia; nec quicquam tam bonum vnquam fuit, quin diſpliceret malis. Neque ſatis dijudicant omnes, nihil in primordio ſuo ritè perfici, & in omnibus, antè ſpei rudimentum adeſſe, quàm rei complementum. Verùm, vt aliqua parte rem quaſi ad calculos reuocem; puram, terſam dictionem, nullus, vt opinor, eruditus, in Exercitatione mea deſiderabit: acumen logicum non abeſt ab inuentione rerum; non judicium & ordo, quibus actiones tam variæ colligerẽtur; non hiſtoria rerum, non Philoſophia morum, non certitudo Mathematicarum demon-

ſtrationum, non probabilitas rationum phyſicarum, non altitudo contemplationum Medicarum; quibus ſcilicèt rei veritas acuratiùs conſideraretur. Nec tamen plus cæteris vnum me ſapere perſuaſum habui, nec ideò præter cæteros gloriam præcipuè conſequi, ſed eò animum induxi, vt omnibus patefacerem, & aperirem viam, qua, certa cum ratione, & ſine errore, in tanta opinionum varietate, ad veritatis & certi cognitionẽ, vnuſquiſque adire poſſet. Verum malæ mentis corruptelâ quadam, animique depraua-tione, acerba quibuſdam fuit veritas: quod etiam Caſſiodorus, & D. Hyeronimus, ſuo vterque ſæculo annotarunt. Quià actiones Iuliodunenſium Vrſulinarum deſcribere conatus ſum, offendi;

De amicit. cap. 29. Bonaſſo.

quià hoc egi, quod promererì assensionem doctis posset, liuoris tela irritaui; quià probis placui, hostes inueni. Sed quid? testor me nec indoctis ista elaborasse, nec detortis quibusdam varisque judicijs, quibus nunquam liquet, aut lucet: nam quod est succulentum, formâ elegans, facie venustũ, illis est exugum & deforme. Verum, scio quid mihi eruditorum aliquis tacitè mussat, sunt enim nonnulli nouæ religionis opinione capti, qui clariùs, & acutiùs intueri nequeant, ob præjudicatam quandam animi sententiam. Imò inueni tam fatuos, qui inuerterent optimum quemque sensum, hocque maximè in officinis Seplasiariorum, & ἐντοῖς κυρείοις, in quæ loquaciſſimi quique conueniunt, vbi desidentes

otioſis fabulis tempus fallunt. Multis illic cornicari licet, ſiquidem Theophraſtus dixerit τὰ κυρεῖα eſſe ἄοινα συμπόσια, quod illic homines loquacitate velut temulenti reddantur. Sicque incautæ plebeculæ, alijſque non magis Muſarum fonte madidis, impoſuerunt, qui ſemipagani de eruditione judicare neſcientes, has merces in vijs, in compitis, &, quod grauiùs, in foro diſſeminarunt. Lingua ſanè maleuolis, prodiga, infreniſque, vt fluat ſemper, æſtuetque colluuione verborum teterrimâ. Verbis lapſantibus non arrident, ſed arrodunt: in promptu cauſa eſt, illis nulla ſpes famæ eſt, niſi in labe famæ alienæ. Inter alios tamen altè eminet moroſus quidam & tetricus caſtigator, optimus certè

eorum, qui ſunt ſui generis & ordinis, qui vltrò tantam fati fiduciam habuit, vt thema ſuum vulgauerit, licet in quotidiano exercitio *Ialemo ſit frigidior.* Promiſit quidem Mathematicus: quærat nunc qui promiſſum impleat, ſatis eſt illum ſpem dediſſe. Magnum eſt Locutio : ſed maximum Deo Silentio litare. Sanè meliùs conſultum fuiſſet omnibus, tacere, aut ſaltem meliùs loqui : ſic enim minimè vnicuique conueniret ſimilitudo Arabici Poëtæ كَأَنَّكَ بَعْرَةٌ فِي اسْتِ كَبْشٍ مُتَطَرِّحَةٌ وَالْكَبْشُ يَمْشِي *l. centum regentium* Id eſt *Ac ſi tu ſtercus ſis ad clunes arietis pendulum, eunte ariete.* Quæ more Arabico facilè ſatis explicatur alia

& ſequenti ſimilitudine كَأَنَّكَ

بِبَلْدَةٍ قِيٍّ أَرْضٍ هَشٍّ فَجَاءَهَا وَابِلٌ فَتَرَكَهَا

قَشٌّ *Ac ſi tu herba ſis, in terra molli,*

cui ſuperuenit imber, & deſtituunt eam ſtipulæ. Pabulo conuenienti augmentum capiunt ſingula, vt docet Medicorum Princeps, ἀρδόμενα γὰρ ὑπὸ τῆς τροφῆς αὔξεται ἕκαστα. Dum verò tali irrigatione priuantur, exſiccata flacceſcunt: multa tamen in rerum natura ſunt, quibus etiam ſi adſit ſufficiens irrigatio, nihilominus fulcimento priuata decidunt. Simili itaque modo, majorique cum ratione, Exercitationis noſtræ caſtigationes, quas feciſſe arbitrantur, nec Græcorum, nec Latinorum,

l. περὶ σαρκῶν. *Irrigata enim ab alimẽto ſingula augmentum capiunt.*

nec Arabum, fontibus irrigatæ, nullo doctrinæ rore imbutæ, ſed cœnoſo tantum ignorantiæ vapore tinctæ, ac puerilium verborum ſpumâ conſputæ, nullâ ſcientiæ fulturâ ſubnixæ, ac ſolido, firmoque rationis ſtabilimento deſtitutæ, ſtatim corruent, ſi doctrinæ tribulo triturent illas lectores, & excutiant, integrique judicij vanno ventilent. Et quemadmodum ideò in emungendâ lucernâ, qui extremã elychnij partẽ quod exſiccata lumini officiat, digitis auferunt, lucernæ lumen magis augent, ſe verò interim ſordibus inficiunt, & inquinant: ità qui Exercitationis meæ luminibus obſtruere conati ſunt, quæ veritati actionũ Iuliodunenſiũ facem præbuit, id imprimis effecére, vt jam à candore ſuo veritas næuum

inſimulatæ fraudis eliminet, ipſis verò turpiſſimam mali animi labem inurat. Hæc narrando neminem offendere poſſum, niſi quem verba propria denudant, ab his enim ſemper auerſus animus meus : ſic redeat vbi, & quantum volet, ea tamen lege cum eo (quicumque tandem ſit) paciſci velim, vt ſi quid meliùs habeat, nobis eodem benè merendi ſtudio, animique propenſione, communicare non dubitet. Alia amplector, ſi quis meliora; per me omnia alba, atrum verò nihil. Iam verò, vt fuerunt in hac re varia hominum judicia, nimiſque frequens multorum Doctorum morbus, ſit contraria opinio pro parte negatiua ; reſponſum ſperaueram, vt aduerſarum rationum mutuo conflictu, veritas elu-

ceſceret: ſed ob tempus elapſum de ſpe decidi. Quapropter ne ſi diutiùs expectarem, longiores ferocia ferias induciaſque haberet, amœnam animo indulſi ſeueritatem, & hoſtilem impetum eneruare cœpi, dum veritati dare adhuc calamum, non minimam exiſtimationis noſtræ partem eſſe exiſtimaui. Itaque inpoſterum ſermonem & res à calumniâ vindicare conabimur, & ſi quæ ſint obſcura, ea illuſtrabimus, ſi quæ deſunt ea ſupplebimus: in hoc denique quantum fieri poterit incumbemus ſedulò, vt perſpicuam, ac certam rei veritatem omnes habeant.

Lectorem remorari potuerunt errata quædam, ſed indoctum: en literulæ mutatio, triumphus! Qui cauſæ fiducia deſtituuntur, à

literæ mutatione vim & victoriam colligunt : nec scio an vnquam editus libellus, sine tali lapsu euaserit. Castiganda tamen illa editio, hocque negotium citiùs confeciſſem, & alacri ſtudio maturaſſem, niſi profeſſionis meæ continua cura me penitùs abſtraxiſſet. Et ita Grammaticus non amplius literis , id eſt nugis, contra me aget : ſi tamen vltrò inſequatur, ſui ſimiles grammatiſtas, & magiſtellos in eum opponã, atque vt aliquis de Priſciani, Deſpauterij ac Clenardi, ludo ſatisfaciat, prouidebo , quià ad nos res : literæ & verba, ad Grammaticos ſpectant.

Sermonis breuitas quibuſdam non ad guſtum, eam damnant, quia res ipſa diſplicet. quid faciam? ita natura mea & judicium

eſt. Homerus à quo ſunt omnia & dicta ſapienter, & excogitata præclarè, quos egregios viros effingit, eoſdem etiam in dicendo parcos eſſe dicit. Veterum Sapientum fuére ſententiæ perbreues, quibus quid eruditiùs? quid neruoſiùs? quid admirabiliùs? vt nihil dicam de legibus Athenienſium, Spartanorum, nihil de duodecim tabulis, pro exemplo fuit noſter Hippocrates: cujus ſcribendi genus non tàm percellit lectorem, quàm delectat ſapientem, crebrum ſententijs, compreſſione rerum breue. Breuiter loqui, plus habet ingenij; copiosè, plus pompæ: inflatis alij buccis vt placeant, ſpumantia verba trutinent; mihi ſufficit ſic loqui vt intelligar: præſertim cum longior verborum ambitus, licet admirationem pa-

riat, in animum tamen certiſſimam ignorationem inducat. Deſiderauit aliquis verbum, dum dico, *quamplurimi ea quæ neſciunt, ad occultum aut diuinum referunt*, nimirum *quid*; ſed quid? verbis parco, res fundo.

Obſcuriſſimam locutionem eſſe animaduertit alius, vbi ſcriptum eſt, *& quæ pietatis ſpecie obuelantur, magicis artibus deturpare, vnum & idem eſſe videtur.* Hoc eſt, ea etiam ipſa quæ nomine pietatis peraguntur, ad magicas artes ſine calumniâ referri non poſſunt: nam cum libratæ lances æqualiter ſuſpenſæ ſunt, tum juſtũ pondus eſt neutrâ præponderante; actum libra eſt anceps, & vtram in partem vergat neſcit homo: ejuſque rei animaduerſio adhuc difficilior eſt, ſi obuelatio illa admixta

rei

rei ſpeciem ejus obſcuret. Quis ità facilè poteſt per ſe rectum diſcernere & cognoſcere ? cur actionibus vis præfigere theta, ad ea quæ non ſunt potiùs vitij quàm virtutis ? ſunt quædam vitia virtutibus proxima, quæ plerumque decipiunt ſub ſpecie & vmbra virtutum : virtutes etiam inſunt hominibus, quæ non virtutes, ſed vitia æſtimantur, vt eleganter deſcribit Zeno Veronenſis. Iuuabit me. Taciti authoritas de Germanis loquentis, *lucos ac nemora*, inquit, *conſecrant ; Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſolâ reuerentiâ vident.* Si veneranda, quæ talia tantum apparent, quia ſecreta; ſub ſpecie pietatis peracta, non notionibus certis detecta, ad magicas artes, ſaltem ſine calumnia, reuocari non poſſunt.

Sermone de liuore & inuidia.

Insuper, eximius alter Castigator existimauit aliquid deesse, dum dicimus, *Haly Abenzagel quoties in eodem signo ijdem Planetæ conjuncti fuére, hæc contingere putat: homines scilicet quibus ipsi præsunt, ita instruendo, dirigendoque, vt futuros eis euentus præostendant.* Hoc est, quoties quatuor Planetæ de quibus loquitur, conjuncti sunt in octauo Libræ gradu, cum signo quod in genitura præest, pueris recens natis futurorum prædictionem cõferunt. En, ad rem intelligendam necessarium fuit scire, illum loqui de Venere, Ioue, Marte, & Mercurio. Intertrimentũ sanè illud annotatũ, ceu defectus; ab ignorantia natus est. Audiamus Augustinum Niphum simili modo loquentem, dum probat per corpora cœlestia in his

inferioribus operari Dæmonem, his verbis, *quod autem Dæmon ſtellis vtatur, Habenragen nobis eſt teſtis, qui narrat cujuſdam Regis filium natum eſſe eo die, quo quatuor Planetæ conjuncti erant eo in ſigno, quo in illius genitura horoſcopabat: eo verò die puerum illum locutum eſſe, jacturamque patri Regi prædixiſſe.* Vltimi ſæculi eruditiſſimus, opinionem ſuprascriptam Haly Abenragel refutans, inquit, *nec quoties in eodem ſigno ijdem Planetæ conjuncti fuére, toties pueris recens natis prophetiam contulerunt.*

Demum inſurgit nullum eſſe ſenſum, dum dicimus, *nonnullos ſenſibus tantum ductos aſſerere, funambulos talia præſtare, licet ratio contrarium doceat. Cur autem hæc affirment, hanc rationem aſſignare Ptolemæum, quia Mercurius rationi, Luna*

animæ ſenſitiuæ præeſt. Iſtorum verborum ſenſum cur non capiat, rationem aliam non noui, niſi quod ab eruditione longiùs abſit, quàm ab ignorantia: aut quia parum intellectus, ſenſus verò plurimum obtinuit. Eamque cauſam laudat D. Thomas; *pauci*, inquit, *ſequuntur intellectum, ſed plurimi ſenſum*: paucis ergo in natiuitate præfuit Mercurius, multis Luna, pauci ſunt philoſophi, ſed plurimi inepti. Vt plantam agricola cum videt, nihil præter colorem aſpicit, nulloque modo eſſentiam ejus penetrat, aut capit; ità actiones Vrſulinarum multi oculis obſeruant, qui modum, & cauſas actionum nunquam aſſequentur. Hoc maximum humanæ mentis opus eſt, qua ſolus vtitur Philoſophus: alij in hu-

Libello de ſortibus.

manis omnibus ſenſu vtuntur; ſed Philoſophus ſingula vt ſunt, dijudicat, &, quod proprium illius eſt, in rerum cauſas ac naturam, mentis aciem ſemper dirigit.

Sed perridicula deprehenditur obſeruatio illa, qua, quis mendum grande in Medico reperiiſſe exiſtimauerat, nuſquam Palpitationem dici de fibris, & muſculis, ſed tantum de motu cordis, neque vnquam aliud legiſſe ſe apud Hippocratem : vltimum quidem verum, nam vix vnquam in Hippocratis libros oculos ſuos conjeciſſe videtur. Obſecro vbinam ? modeſtè dixerim, nota eſt à ſuâ mẽte natâ. Tali præceptore Hippocrates indigebat in Philini vxore, παλμοὶ δὲ ὅλου τοῦ σώματος : eſtque Palpitatio ex Galeno, κίνησις

1. Epid. Palpitationes totum corpus occuparunt.

Lib de tremore, conuulsione & palpit.

Motus inuolũtarius & inuitus partium, quæ dum palpitant, attollũtur, & deferuntur.

Palpitatio est dilatatio quidem præter naturam, & fit in omnibus particulis quæ distendi & dilatari naturâ possunt.

ἀβούλητός τε καὶ ἀκούσιος ἐπαιρομένων τὲ καὶ καταφερομένων τῶν παλλομένων μερῶν. Palpitat illi fortasse cor, ne à quo tàm erudita obseruatio facta fuit, detegatur, & fortè jam ὀῤῥοπύγιον illi sudat. Audiat tamen adhuc Galenum sua lingua loquentem παλμός ἐστι μὲν διαστολὴ παρὰ φύσιν, ἐν ἅπασι δὲ γίγνεται τοῖς μορίοις ὅσά γε διαστέλλεσθαι πέφυκεν. His auditis, jam non solùm illi ossis sacri extremum sudat, sed quisquis sit, vt alter Chremilus, vaticinio ità attonitus, Carioni subindè interpellanti οὐδὲ γὰρ ἀποκρίνεσθαι posse videtur; Iustè recusat lyrã in conuiuio, cui rudes ineptique digiti ad discapedinandum; imò nec Coam Mineruam docere vult amplius. Ideò quid Hippocrates in prorrheticis, quid vltrò author

definitionum Medicarum hac de re ſcripſerit, omitto, & talia penitùs examinare noſtri non eſt otij: atque etiã nefas mihi videtur, in minutis hærere velle, & præſertim in re quam oculus definire poteſt. Redeamus igitur ad penſum, vt ordine ad reliqua eamus.

Ex ratione Mathematica, Phyſica, ac Medica, quid concludebam? Iulioduni adeſſe Dæmónes: quid multi contra? non adeſſe. Ex duab⁹ propoſitionibus idẽ de eodẽ affirmãtibus, aut negãtibus, neceſsè eſt alterã verã eſſe, alterã falſam; vtra ergo ſit expendamus. Si omnium rerum veritas in profundo ſit abſtruſa, vt docuit Democritus, certè baſim profundi occupabit illa, quæ humanæ naturæ limites tranſcendit; qualis eſt actionum Vrſulinarum

in ciuitate Iuliodunensi : nam dum eas inuestigamus, naturam extrà fines suos quærimus : si quærendo inueniamus, veritatem è basi profundi ad verticem, omnibus in clarâ luce spectandam proponemus ; vt omnibus admiranda sit, nemini verò obscura & ignota. Hoc autem vt assequamur, in hoc Vlpiani vocem omnium prudentum ore tritam sequamur, nimirum *semper in obscuris non quid dictum, sed quid actum sit.* Porrò, vt quid actum sit certò habeamus, oculati sunt adhibendi testes, ijque probi, & ità fallere atque falli, alienum erit ab hac exercitatione ; fallere siquidem probus fugit, falli cauet. Virgines insuper in quibus ista peraguntur, cum candore natiuo sint imbutæ, innocẽtiæ vsu, frau-

L. Cùm quod si cert. pet. l. 34. de reg. iuris.

des arteſque, non declinant modò, ſed propemodùm ignorant. Acumine itaque mentis in profunda deſcendamus, attentè namque intuenti omnia lucent, imò lucem in vmbra, experimentum & diſcurſus nobis comparant, nec datur alter modus occulta ſciendi.

Experimentum per exemplum acquiritur. Anno Salutis 1541. dum Argyræ celebraretur feſtum D. Philippi, arreptitiæ fœminæ penè ducentæ adfuére! horrendum certè ſpectaculum, vidiſſes hic eas non ex ſe, ſed à Dæmone, qui earum corpus occupauerat, agitatas, diſrumpi clamoribus, omni amictu ac verecundia abjectis, diuellere ſibi crines, ſtridere dentibus, os, oculoſque diſtorquere, ſpumam emittere, volubilem linguam mole turgidam

Thomas Fazellus. de rebus Siculis prioris decadis lib. 10.

exerere, guttur, ejuſque venas ijſdem intumeſcere; Græcè quaſdam, pleraſque Latinè, Saracenicè alias loqui: mentis quoque conceptus, & quæ clàm quiſque ſibi ſoli cognita perpetrauerat facinora, mulierem quandam Leontinam cuique exprobrare. Arreptitiæ etiam fuére plures religioſæ Monaſterij Sancti Auguſtini in villa du Queſnoy le Conte Cambreſenſis Epiſcopatus, ſedẽte tunc & præſẽte D. Henrico de Berghes. Haud etiam diſſimilia, Coloniæ paſſæ ſunt Religioſæ Virgines in Nazareth Monaſterio. In vtroque Monaſterio ab vna incepit, & in alias vt peſtis, velut contagio ſerpſit. Illæ enim eodem quo Iuliodunenſes modo torquebantur, miris conuulſionum generibus diſtrahebantur,

Ioannes Molinet domus Auſtriacæ, & Burgund. Hiſtoriographus, in 2. volumine manu ſcripto.

Vvierus de præſtigijs Dæmonum. l. 4. c. 12.

proſternebantur ſæpenumerò deorſum, rigidis membris, retortis digitis, infima corporis parte ſuccuſſata, obſcura, ignotaque detegebant, vno verbo, à Dæmone exagitabantur. Verum illud experimentum, cum fiat procedendo à ſingulari ad ſingulare, nihil concludere poteſt. Firmior diſcurſus fortaſsè videbitur, quo dignoſci poterit, an actionum Vrſulinarum Iuliodunenſium, à viris probis ritè obſeruatarum, immediatum principium ſit natura humana, an verò quid extrà naturam: viamque ſibi faciet ad occulta, & ignota, per notiſſima, & è ſenſu petita, ſcilicet per Matheſin, quâ rei demonſtratio certiùs agnoſcatur, appellatur namque hæc κατὰ παίδευσιν ὁδός, *In Timæo.* eſtque verè λογίζεσθαι, vt apud Pla-

tonem habetur.

Vna ex Vrſulinis ceruice ponè conuerſa, caput non ſolum in ſcapulas deijcit, ſed ad talos vſque incuruat; longoque tempore ità recuruum corpus, pedis ſolius plano adhæret. An homo ita procliuis quieſcere, aut ſtare per diuturnum tempus naturaliter poteſt? an verò limites naturæ excedit? æqualitas, inquit Mathematicus Phyſicus, quietis cauſa eſt, rectus angulus eſt æqualitatis, ſtatumque facit, quòd commune ſit axioma apud Mathematicos, *quieſcunt omnia ad rectos angulos*; ideò terra medio mundi loco poſita, (cubico octonûm rectorum ſolido à Pythagoreis comparata) conquieſcit, cum jacemus humi, aut alio modo decumbimus, paralleli plano hori-

zontis, aut eidem congruentes, tum pedibus, tum capite, angulos rectos facimus. Quies igitur fit angulis rectis, nec non & Statio: ſic plantæ, arbores, animalia, ſtatum ſuum tuentur: ea ratione Callimachus in prælio Marathonico ſtans expirauit, & mortuus ideò ſtetit, quià illi fuére tunc recti anguli ad perpendiculum, ităvt nulla ex parte pronior fieret. Nam vbi inclinatio aut declinatio aliqua contigit, anguli obliqui protinùs aliquem ruinæ motum minantur, quod obtuſus angulus recto ſemper ſit major. At in deſcripta Vrſulinæ figura nulla datur æqualitas, & major angulus obliquus eſt, non rectus, qui ruinam faciens, quietem & ſtatum impedit. Data ſcilicet ex iſto pedis campo vel plano per-

Enclides lib. 6.

pendiculari recta linea à baſi ad verticem, angulus vnus erit major altero, erunt namque inæquales anguli. nam ſi duo puncta, è puncto perpendicularis rectæ lineæ in vertice, fluére concipiantur per peripheriam ad aliud punctum ejuſdem lineæ in baſi, primum vacillabit vtrumque, nec rectà fluere videbuntur, nec vniformi motu in orbem ferentur, nec æqualitatem momentorum habebunt, eritque tempus alterum altero majus, aut breuius. Doctiſſimi Archimedis ea eſt demõſtratio primo & ſecundo theoremate περὶ ἑλίκων, (quem in Mathematicis imitandum cenſent periti, vt in eloquentia Demoſthenem & Ciceronem, in Medicina Hippocratem & Galenũ.) Qui rectũ iter facit, vulgò dicitur

tantum itineris conficere, quantũ neceſsè eſt, qui facit obliquũ pluſquàm oporteat, vt ait Proclus. Corpus Vrſulinæ in hac figura, cùm ſibi in omni ſit æquale, ejus major portio, minori grauior erit, minorque, leuior majori, cum in minori quanto, minùs ſit ponderis, cæteris paribus. κλίσις ergò aderit in majori obliquoque angulo, ea propter ruinam pariet; proindèque homo in hac figura cum non ſit ἰζόῤῥοπος, non poterit ità inflexus quieſcere, aut ſtare. Atque id quotidiè experimur in vexatis Comitiali morbo, qui dũ conuelluntur & obrigeſcunt, ſtatim in terram decidunt; corpus ſiquidem illorum cum ſit graue, non poteſt non ferri deorsùm, dum nihil impedit. Et ſic Vrſulinæ corpus, per plura temporis

momenta, ità incuruatũ ſtare, aut quieſcere non poteſt, niſi ab externo ſuſtineatur. Verùm, pluribus hujus demõſtrationis veritatẽ faciliùs fuit contemnere, quàm ſequi, ridere, quã intelligere; dũ ad res inanimatas pertinére tantùm arbitrantur. Ignorant Hippocratem, Ariſtotelem, Euclidem, Archimedem, alioſque quamplures Mathematicos, de omni animato & inanimato loqui, vt & quandò dicunt, *ſi æqualibus æqualia addantur, tota erunt æqualia.* Figuram ſupraſcriptã Philoſophi genus vnum eſſe qualitatis docent, quam Mathematici ſuperficiem eſſe definiunt; quo modo dicimus circulum, triangulum, & hujuſmodi rerum ſpecies, eſſe figuras: appellatur etiam figura inanimatorum corporum externa circũſcriptio,

ſecundum

ſecundùm quam illa terminantur: at Simplicio videtur quod tàm de animatis, quàm de inanimatis dici poſſit figura : vt figura & accidentalis forma ſint idem.

Nec magis efficax potenſque videtur naturalis facultas ac δύναμις, dum, non articulatim, ſed rigido corpore baculi inſtar recti firmique, Vrſulinæ ſeipſis aſſurgũt, dũ humi jacent ; cum totum earum corpus rigidũ adeò & extenſum ſit, vt inflecti nequeat. Omne enim quod mouetur, vt docet Mercurius ter ille maximus, non in moto, ſed in quodã ſtabili mouetur. Idem etiam ſciunt Philoſophi illum diuinitatis interpretem, naturæ genium, & in occultis omnium ſcientiarum myſterijs λαμπαδοῦχον Ariſtotelem ſenſiſſe, dum quicquid mouetur,

In Pimandro c. 2.

l. de motu, animaliũ.

in aliquo, & ab aliquo ſtante, moueri ſcripſit: eâque ſcientiâ excitatus Archimedes coram Hyerone Siciliæ rege (vt eſt apud Pappum) Δός μοι (φησὶ) ποῦ στῶ, καὶ κινῶ τὴν γῆν. Ideò pila reſilit, quia terra conquieſcit. Quia tamen plures id nondùm perfectè intellexiſſe videntur, rem dum paulò ſubtiliùs repeto, adſint omnes animis; nam mens ſomno aut ſopore occupata, auream ſequentem in phyſicis motibus cognitionem meditando non aſſequetur. Quies fit parallelis plano terræ corporibus, ſtatio autem perpendicularibus; vt ſurgas dũ jaces, è paralleliſmo perpendiculum natura molitur; jaces angulis rectis; vt ſurgas, & corpore erecto perpendicularis horizonti fias, quatuor angulos acutos effi-

Da mihi, inquit, vbi conſiſtam, & mouebo terram.

cis, vtroque brachio & latere, thorace & cruribus, femoribus & tibijs : neque Argus ille qui fingitur à Poëtis decẽ corporeorũ oculorum millibus, magis acutè cerneret. Si rigidum itaque Vrſulinæ corpus jacens, ſine vlla flexione ſe ipſo ſurgeret, totum ſimul moueretur, angulosque illos acutos non efficeret, quod omninò eſt impoſſibile. Talis eſt ordo naturæ humanæ, imò neceſſitas : alium ergo motorem in hac actione agnoſcere cogimur.

Æqualitatis in pondere demonſtratio vbi noui nihil additur, per ſe ſatis patet, nec majori elucidatione indiget: hoc tantùm dicam, quòd jàm æquis rerum æſtimatoribus probatam eſſe ſatis confido.

Specierum Sacramentalium è

ſtomacho regreſſus, naturæ limites ſuperare videtur, dùm pro nutu & arbitrio voluntatis ſurſum ad os remeant : non equidem mouetur ventriculus κατὰ ὁρμὴν, κατὰ προαίρεσιν, ἢ βόλησιν, facultatis tantùm animalis munus eſt. Natura enim nihil fruſtrà facit ; vbi non poteſt fieri operatio alicujus facultatis, ibi nec facultas ipſa eſſe poteſt, nam facultas gratiâ operationis eſt. At operationes in qualibet corporis parte fieri non poſſunt, quod ſatis manifeſtum eſt: neque enim in manu, neque in pede, fit viſio, quià ibi organa propria deſunt : neque etiam anima functiones omnes ſuas obire poteſt in eadem parte corporis. Vbi non eſt inſtrumentum cuique facultati neceſſarium ad operandum, ibi nec facultas ipſa ſta-

tuenda eſt ; & è conuerſo , vbi facultas deeſt, ibi fruſtrà inſtrumentum poneretur: ſi ſtirpes haberent facultatem loco motricem, inſtrumenta quoque ejuſmodi motui deſtinata haberent. Quare apud Ariſtotelem efficax eſt hoc argumentum , non eſt ibi inſtrumentum talis operationis, ergo neque facultas operandi. Nullus in ventriculo reperitur muſculus, vel qui leuiter tantùm ipſum attingat, vt exactè omnes Anatomici obſeruarunt, ideò nullus in eo eſt motus à voluntate dependens. Sed quid ſermonem vltrà necto? vbi Medicorum Princeps ſic loquitur, κοιλιὴ δὲ ἥπατι, παρακειμένη, κατ' εὐώνομον μέρος ὑλομένη ἐστὶ νευρώδης. Si totâ ſuâ ſubſtantiâ neruoſus, nulla inerit caro muſculoſa : qui totum eo modo

περὶ ἀνατομῆς. *Vẽtriculus autem ad ſiniſtram jecori adjacens, totus neruoſus eſt.*

dicit, cætera excludit. Superioribus diebus, præter hæc, plura miratu digna in Virginibus Iuliodunenſibus à multis obſeruata fuére, in quibus optaſſem præfuiſſe Medicum, ea tamen à nobis prætermittuntur, quià de ſingulis earum actionibus nimis longum eſſet dicere. Prætereà à D. Thoma inſtructus ità breuiter argumentor, data impoſſibilitate in vno, per conſequens datur in omnibus alijs quæ ſunt ejuſdem naturæ, virtutis, ponderis, & magnitudinis.

Æquo ſatis animo actiones corporeas Vrſulinarum huc vſque contemplati ſumus, earumque ſi non omnes, præcipuas ſaltem, & magis euidentes cauſas ſæpiùs replicauimus; ſicque nobis viam ad altiora fecimus, vt humanæ men-

tis actiones mente adeamus, & quid poteſt, quid verò ipſa non poſſit, comprehendamus. Prædictio futurorum, reuelatio ſecretorum, commemoratio præteritorum, & eorum enunciatio quæ in locis remotis fiunt, in Vrſulinis Iuliodunenſibus ſatis frequenter obſeruantur: ſed an ſolâ mentis actione perficiantur, hoc opus, hic labor eſt. Sanè, quod brutis ac rebus inanimatis tribuitur, humanæ naturæ denegari non eſt rationi conſentaneum: & tamen Gallus ales dicit mutationes tẽporum, Coruus contagioſas clades futuras annotat, Delphin tempeſtates; dicunturque ideò multis ſtellæ ſecundæ, per quas judicare certiùs ſit, quàm per ſtellas Cœli, quod ſint effectibus futuris vicinæ. Inanimata quo-

que harum virtutum expertia non deprehenduntur, Amandinus namque lapis futura prædicere, & ſomnia interpretari facit: Celonytes ſub lingua humana poſita, diuinationem parit: Quiritia ſecretorum eſt proditor, vt volunt Aaron & Euax apud Albertum. Verum horum inanimatorum virtutes, antiquorum Philoſophorum deceptiones fuiſſe, ipſe etiam Albertus ſæpè commemorat. Gallus quidem vapores è terra exhalantes ſentit, & ità mutationes temporum, pluuias ſcilicet, aut brumas, cantu ſuo nuntiat. Corui dum ſolitam habitationem derelinquunt, ob corruptionem aëris incipientem quam præſentiunt, contagioſas clades futuras annotant. Delphin in maris profundo commotio-

l 2. de Mineralibus.

nem, aut vaporum permixtionẽ agnoſcit, & dum hanc effugere tentat, commotione ſua, quid ſit futurum jndicat. Sic Strygonia dant ſigna Ciconiæ Veris, & Onagri Æquinoctiorũ; ſic non pauci fluxionibus, aut hemicranico dolori obnoxij, aëris mutationes præuident, dum mutationem in diſpoſitione perſentiunt: ſic ſpõtaneæ laſſitudines morbos præ- *Aphoriſ. 5. ſect. 2.* nuntiant; ſic halyces, oſcitationes, pandiculationes febrium paroxyſmos præcedũt. Verùm Vrſulinæ nihil tale agnoſcunt, neque naturalis aliqua cauſa aſſignari poteſt reuelationis ſecretorum, aliarumque ejuſmodi actionum.

Permulti melancholicis talia aliquando contingere volunt, quibuſdam etiam in ſomno; atque in moribundis quid ſimile ani-

maduertunt : ſic Homerus, atque etiam Virgilius, morientes vaticinium edere finxerunt, Homerus Patroclum, Virgilius Orodem dicentem inducit, dum animam efflabat, Mezentio.

Nec longum lætabere, te quoque fata
Proſpectant patria, atque eadem mox arua tenebis.

Multa enim pro diuerſo gradu caloris poſſunt homines, quià calidi eſt diſgregare, attenuare, mouere, ac ſubtilem materiam reddere in quam agit ; ſic ingenij præſtat acumen. Iſque calor ſi mediocris fuerit, ſimilique modo ferantur in caput vapores calidi & ſicci, cum in cerebrum humidius perueniunt, ab ipſius frigore, & humore naturali temperati, hominem ad ritè cognoſcibilia co-

gnoſcenda aptum reddunt; creſcente verò ipſo, conſtanterque, ac vniformiter aſcendente prædicto calido ſiccoque vapore in caput, oculatiſſimus homo efficitur, atque Apollinis ἐνθυσιασμὸν concipit, & neſcio quid jàm ſuprà vires cogitat, aggreditur, audacterque perficit. Hic eſt ille ardor, quem dicebat Virgilius à Dijs mentibus humanis addi. Si verò is calor rursùs magis creuerit, & partes acriores humorum incaluerint, ſursùmque vapores emiſerint, & dum torrefiunt, in cerebrum ferantur; furor, fanaticaque agitatio exoritur. Speciatim verò hæc in mentes hominum imprimi exiſtimant, à corporibus cœleſtibus Aſtrologi, & inter eos Haly ſui ſæculi Princeps: nonnulli hæc à Luna moueri pu-

In 2. parte ſuæ ſummæ c. 33.

tant: Ægyptij non à Luna, ſed ab vno è quinque planetis erraticis, nec ſemper, ſed cum erraticum ſidus in figura cœli tenet tertiam, vel quartam, vel ſeptimam, vel nonam, vel decimàm domum. Porphyrius non etiam à Luna, ſed à Dæmone mediante corpore Lunæ, quo tanquam inſtrumento vtitur, ad tales euentus hominibus aperiendos. His inſomnijs adſtipulatur Agrippa, qui Lunæ ad hoc aſſignat Dæmonium, illudque appellat *Haſmodaï*, cujus Princeps *Sched*, *Barſchemot*, *Scartacham*

De occulta philoſ. l. 2. c. 22.

In melancholicis equidem, pro vario gradu caloris contingit eleuari ad cerebrum vapores varios, & cum ſpiritibus miſceri, & ſic cerebrum affici, ac diſponi, vt longè alius atque alius quam priùs

erat appareat per vices homo, vt aptè ſuperiori aëri comparari poſſit, qui ſe diuerſum oſtendit pro varietate vaporum, qui à terra Solis virtute calefacta oriuntur. Ex vaporum varietate, agitationeque ſpirituum, imaginum multitudo exurgit; ob quam multa, ſed vt plurimũ ridicula proferũt, nec vera, niſi rarò admodùm & caſu: eaque etiã illis priùs mente quoquo modo cognita. Idcircò Clariſſimus Medicus cum melancholia puellam viginti annorum affici judicaret, quæ noctes inſomnes vndecim tranſegiſſet, ei ex arte pilulas de cynogloſſo ſomnum conciliaturas exhibuit, quarũ vna deuorata, digito alterum ægrota occludens oculum. Vide, inquit, quàm nunc dormiam; atque indè, quod nulli ſe

Vvierus c. 17. l. 4.

eas ad ſomnum exhibiturum pilulas, aperuiſſet; Dæmonem ibi ineſſe agnouit. Ad inſomnia reſponſum Ennij vſurpabo, occurrens namque tacitè Ennius incredulis ac derogatoribus, qui maledicendi licentia inſtitutum ejus vellicabant (quaſi ſcripta ejus nõ domi nata, ſed ab Homero, qui viſus authori in ſomnis adeſſe, mutuata,) reſpõdet *non poſſe quemquam in ſomnis videre ſapientiam, niſi prius eam didicerit.* prædictio igitur, reuelatio ſecretorum, & enunciatio eorum quæ in locis remotis fiunt, ad ſomnorinas imagines pertinere minimè poſſunt. Ægrotantium exemplum nihil aliud denotat, quàm ægros ſenſus exquiſitiores, acutioremque mentem habere, propter humorum & ſpirituum agitationem & intempe-

l. 1. Annal.

riem. Calor etiam & ſpiritus actionis omnis naturalis cauſæ principales, ſi à principio natiui frigoris, dum mens aliquid tentat, contemperentur, hominem ad prudentiam aptum reddunt; ſin minus, ad audaciam, atque etiã vt ſuprà vires quid tentet, prouocant; tandemque ijſdem extrà modum calefactis, furioſas actiones excitant, nec ſpeciem rei occultæ aut futuræ repreſentare poſſunt, niſi caſu. Et res corporeæ, cum non moueantur niſi κατ' ἐξιν, extrà actiuitatem propriam ſenſuum, in momento recipere ſpeciem non poſſunt rerum longè remotarum. Nec ad hoc magis præſtare poſſunt influẽtiæ Cœlorum, cum maximè in nos agant motu, & luce, quæ quia ſunt agentia communia, nulli homini

denegata, multi ſaltem tales impreſſiones rerum reciperent, neque ſolæ Vrſulinæ Iuliodunenſes ab illis afficerentur. Vt verò agnoſcamus præter motum & lucem ſpeciales Cœlorum influentias, Aſtrologi debent illas habere certas: ſed ſumma eſt inter Chaldæos & Ægyptios de ea re diſſentio. Ptolemæus Aſtrologiã Ægyptiorum taxat, & parum rationi eſſe conſonã exiſtimat, hãc Ptolemæi Aſtrologiam reijcit Albumaſar, quam admittit Auenrodam. Itaque cum Diuo Ambroſio illud omne inutile & impoſſibile, & cum D. Chryſoſtomo, vanum, falſum, & ridiculũ eſſe exiſtimamus. Qui ad Lunam confugiunt, decepti videntur, & ſimiles ei qui ad D. Ieſum clamitat, dum, inquit, Domine miſerere

miſerére filij mei quia lunaticus eſt, & malè torquetur. *In hoc enim, aut humanæ naturæ, aut cœleſtis elementi Dæmon, mira arte, Lunæ curſibus hominis paſßiones aptauit; vexabat quippè corpus lunaribus incrementis, vt omnes Lunæ adſcriberent, quod erat Diabolici criminis & furoris.* Quæ verò Porphyrius, & inſignis impoſtor Agrippa proponunt, figmẽta eſſe, hominumque deceptiones, omnibus per ſe ſatis notum eſt.

Petrus Chryſologus ſermon. 52. de Dæmoniaco ſurdo & muto.

Verùm dicet aliquis, ſi à corporibus cœleſtibus in hominum mentes iſta non imprimantur, nec humana natura dum efferueſcunt calor & ſpiritus, acumine intellectus futura præuidere, nec ſecreta detegere, & quæ in locis remotis fiunt, vllo ſenſu dignoſcere poſſit; Dæmones illud non efficient, cum nihil agant niſi

quod κατὰ τὴν φύσιν αὐτ῀ ac naturæ ſuæ proprietatem ſit ; nam actio eorum fit applicando actiua paſſiuis: & ità naturaliter operantur. Deindè,repugnat ne aliquem hominem cognoſcere ex ſcientiâ naturaliter habitâ per contemplationem, per ſtudium, per ſæculorum experta, ea quæ applicantur per Dæmones ? quandoquidem hæc naturales res ſunt; & ità poſſibile eſſet hominem ſimilia operari, regia quippè illa & auguſta pars noſtri, ſibimet intenta, multa intelligit. Imò ſi quis rem ipſam penitùs proſpiciat, obijcere deſinet: etenim tenuis ſunt ſubſtantiæ Dæmones, ſua tenuitate, ſubtilitate, celeritateque incredibili, ac lumine naturæ lucidiore, quibus omnibus terrenorum corporum inhabilitatem, & ſenſuũ

tarditatem longè latèque præcellunt, multa Deo permittente intelligunt, & possunt. His accessit experientia longè major quam hominibus, ob diuturnum tempus quo vitam à primo æuo protrahunt. Percurrunt quippè aërem non aliter quàm radius Solis, à quo simul eodem tempore totum hemisphærium illustratur, non successiuè vnâ parte priùs, alterâ posteriùs: quo modo magis præstò sunt Dæmones, quãquã locorum interuallis valdè disjuncti, audiuntque susurros, & mox concurrunt, quasi forent contigui. Talisque motus χετικὸς dicitur, mouentur enim momento per medium minimè resistens, quod idcircò habet rationem non entis: *certè qui Spirituali sunt substantia præditi vbicunque voluerint sta-* *Eucherius Gallus in l. 3. Regũ.*

tim, quasi volando leuitate sua perueniunt: facilè itaque enuntiant quæ in locis remotis fiunt. Hîc Tertullianus sic differit, *omnis spiritus ales est, hoc Angeli & Dæmones, igitur momento vbique sunt; totus orbis illis locus vnus est: quid vbique geratur, tàm facilè sciunt, quàm enuntiant.* Et ità occulta detegere possunt, ac rebus ritè obseruatis, & pensitatis, per longam experientiam aliquādò futura præuidere sciunt: majore enim experientiâ quorumdam signorum nobis occultorum, multò plura quàm homines futura prospiciunt, ex præteritis præsentibusque rebus facilè conijcere valent, quià vetustissimus ille, tàm subtilitate naturæ spiritualis, quàm temporis longæuitate, doctissimus est.

In apologet. aduersus gentes c. 22.

Insultant nonnulli ab amore ac

ſtudio veritatis auerſi, & deteſtandæ opinioni mancipati, quos noſter Hippocrates ἰδιογνώμονας, & Ariſtoteles ἰχνεγγνώμονας vocant, qui vltrò ſe poſſe obijcere exiſtimant, nullos adeſſe in totâ rerum naturâ Dæmones; & ità cum omne quod non eſt, nihil poſſit agere, concludunt actionum Vrſulinarum Iuliodunenſium cauſam, ad Dæmones non eſſe referendam: quod ſine horrore cogitare non poſſum,(quamuis ea opinio omni authoritate deſtituta nõ fuerit.) Nam Sadducæi & Samaritani dicebant, neque Angelum eſſe, neque Spiritum, vt ſcribunt S. Lucas, Epiphanius, & Leontius. Democriti ſectatorẽs vmbram tantum ex rebus apparentibus Dæmones eſſe voluerunt. Caſſius Epicureus a-

Act. 23.
Hæreſi 14.
De ſectis.
In Bruto.

pud Plutarchum, minimè probabile eſſe exiſtimabat dari genios. Imperator Michaël Balbus nullos Dæmones admittebat. Quin etiam noſtræ ætatis Philoſophus celeberrimus reſpondet, *il credere è corteſia; vi Dæmonum id effici nunquam dixerim, cum ſola religione mihi perſuaſum ſit adeſſe Dæmones.* Quaſi Religio Chriſtiana aliquid determinaret quod non ſit verũ. Nonnè nouit ipſam dirigi à ſincero verbo Dei, & Spiritu Sancto? in quo, & à quo, & per quem, nullus error eſſe poteſt. Hujus veritatis condimentum, hujuſque ſcientiæ quaſi animus eſt hiſtoria; *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus.* Qui ſerpentem Dæmonem eſſe non dignoſcunt, de fructu arboris in medio Paradiſi poſitæ co-

Zonaras in hoc Michaële.

Geneſeos 3.

medere ſperant, vt aperiantur oculi mentis eorum, & illũ agnoſcant. *Magi Pharaonis per incantationes Ægyptiacas, virgas ſuas in Dracones, aquam in ſanguinem tranſmutarunt, eduxeruntque ranas ſuper terram Ægypti.* *Exod. 7. 8.* *Moyſes præcepit Iſraëlitis ne Pythones conſulerent.* *Deuter. 18.* *A Dæmone multa paſſus eſt omnibus filijs Orientis major.* *Iob. c. 1. c. 6.* *Saül interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre.* *1. Regum c. 28.* *Cum Spiritus Domini receſſiſſet à Rege Saüle, exagitauit eum Spiritus nequam à Domino;* *1. Regum c. 16.* *Quædam enim paſſiones & Dæmonia comprehenderunt Saülem, ſuffocationeſque, & anguſtias, intulerunt, itavt Medici nullũ ei ſalutis remedium inuenirẽt.* *Ioſephus ant. jud. l. 6. c. 10.* *Rex Salomon modum eijciendi Dæmonem inuénit.* *Zonaras l. 1. hiſt. 8.* *Reique à Salomone inuentæ experimentum fecit Eleazarus Iudæus coram Imperatore Veſpaſiano.* *Ioſeph. ant jud. l. 8. c. ij.* *In regione Geraſenorum occurrerunt Ieſu duo* *Zonar. l. 1. hiſt. 10.*

habentes Dæmonia, ejecit ea, ac ſecundum mandatum Domini abierunt in
Mathæi 8. *porcos, totuſque porcorum grex in mare abijt, mortuique ſunt in aquis. Euntibus Paulo & Silâ ad orationem, puella quædam habens ſpiritum Pythonem eis obuiam facta eſt, quæ quæſtum ma-*
Actorũ 16. *gnum faciebat Domino ſuo diuinando: præcepit ei Paulus in nomine Ieſu ab ea diſcedere, & exijt eâdem horâ.* Verùm nihil vrgent ſeciùs, qui doctrinâ ſuâ ſæculum illuſtrant, lutoque non ita vdo ſacras Hebræorum hiſtorias incruſtare intendunt, dum adducunt Sadducæos (qui in hebræo dicuntur Radichin id eſt juſti) dicentes verbum Ruak non ſignificare ſerpentem ceu Dæmonem, ſed prauas naturæ propenſiones, elatumque ſpiritum; & ſic ſpiritum Ruak ſuperbiæ, in homine naturæ im-

pulſum eſſe, vt aliquid audacter ſuprà vires cogitet, aut aggrediatur. Pythones arceri quidem à Moyſe opinantur, quia mali & improbi à conſortio Iſraëlitarum expellebantur; ſic apud Tertullianum Catabolici ſpiritus ceu calumniatores, quùm καταβολὴ ab Iamblico inter verſus Cleobuli pro calumnia vſurpetur. Iobum malè affectum fuiſſe agnoſcunt, ſecundùm mentem R. Ben Maimon, quià non fuit ἀπαθὴς, vacuus & liber à perturbatione animi; & ideò jacturam bonorum æquo animo non tuliſſe, & ob prauam corporis ἀλγηδόνιν, in corpore multa ſuſtinuiſſe. Verumenimverò praua illa naturæ propenſio fuiſſet animal, cum præ omnibus animantibus ſpiritus Ruak maledictus ſit. Deindè

l. de anima c. 28.

ejuſmodi ne naturæ impulſus, ſuper pectus ſuum gradiretur? Si Dæmones nulli ſint, quomodò Magi Pharaonis tot mirabilia perfecerunt? en, dum irruunt Sabbæi, dum Chaldæi inuadunt camelos, dum ventus vehemens à regione deſerti irruens, concutit quatuor angulos domus, Iobi animi propenſiones, atque corporis & humorum praua diſpoſitio, iſta efficere potuére! ex eo quod Python, & ex eo quod Catabolicus ſunt, ſpiritus ſunt; ex eo quod agunt, mali aut calumniatores. Sic Angelicæ naturæ nomen ſpiritus eſt, officij Angelus. Nec ſolæ Sacræ hiſtoriæ teſtantur Pythones locutos fuiſſe, nam Athenis Eurycles ventriloquus fuit, vt ſcribunt Suidas & Scholiaſtes Ariſtophanis: noſter quoque Hip-

D. Ambroſ ad caput 1. epiſt. ad Hebræos.

Rabbanus Maurus de vniuerſo l. 1. c. v

In voce ἐυρυκλῆς.

pocrates refert, in vxore Polemarchi anginosa, strepitū quendā aut sonū è pectore & thorace editum fuisse, ex plurimo spiritu crasso & viscido sputis permixto, ὥςπερ αἱ, inquit, ἐγγαστρίμυθοι λεγόμεναι. τοιοῦτό τι ξυνέβαινε. Qualis fuit Pythia illa Delphica, quæ tripodi diductis cruribus insidens, ventre fatidicum spiritum hauriebat, quo, mente incitata & furens, edebat oracula. Tertullianus author grauissimus mulieres fuisse scribit, quæ genitalibus voces fatidicas emittebant. Neque enim alia via ex Pyhtijs delphicis Dæmon pronuntiare solitus fuit, quam diductis feminibus per inguen; propterea à ventriloquæ dicebantur, è quarum pudendis vox, dum sedebant excitabatur: talem sibi visam mulie-

In Vespis. 5. Epidemiōn.

Nec secus contingebat ac mulieribus fatidicis, quæ Pythone afflatæ vētre oracula fundunt, & Engastrimuti hoc est vētriloquæ dicuntur. Tullius 2. de diuinat. l. de anima c. 28.

c. 10. l. 8. rem teſtatur Cœlius Rhodiginus. Mulieres enim Pythonicæ frequentiores viris fuére, vt annotat Pamelius, quià ſpiritus illi impuri, tantâ turpitudine vaticiniorum ſuorum, in viris voces & ſonum edere non poſſunt, ſed per honeſtiorem partem corporis, os ſcilicet, eloqui coguntur. Et verò, non ità infames iſti genij viderentur, ſi per os non per rimam muliebrem reſponſa dediſſent. Hoc fieri ergo non poteſt ſine Eurycle interno, cum in concauo rimæ deſint organa vocis. Atque id vt ſine Eurycle interno non poteſt concipi, ità ſine Dæmonio paredro eſt impoſſibile hominem in altum aſcendere, & per aërem ferri; quod in hac Prouinciâ nuper viro nobili contigit, ob combuſtum, quod incluſum

In l. 4. Tertull. aduerſus Marcionē.

erat annulo maleficium. Nec paredro Dæmoni cõtrarium eſt, vt corpora, quò Deus permittit deferat; virtutem portatiuam applicans cuique rei extenſæ modo extenſo, vt totam in ſingulis partibus moueat; ſed naturæ humanæ maximé aduerſatur, quæ ratione grauitatis deorsùm fertur: ſpirituali verò naturæ nullomodo repugnat, modo virtus ſpiritualis ſit humanæ naturæ applicata ex omni parte corporis. Atque hoc modo Angelus mouebat columnam nubis per deſertum dirigens Iſraëlitas, illa enim nubes non poterat per ſe moueri tali motu, ideò virtus Angeli fuit ad mouendum addita; ità enim fit omnis motus localis, vt virtus mouentis applicetur rei motæ. Angelus detulit Abacuch de Iudæâ

Exod. 14.

in Babylonem, & posuit eum super antrum Leonum. Angelus Philippum ex itinere rapuit, inuentusque est postmodum in Azoto. Paredrum Dæmonem idem præstare posse dicimus, si Deus sinat, cum sit adhuc spiritus, nec ex lapsu spiritualem essentiam amiserit. In historiâ igitur optimè versati credunt esse Dæmones, & fortassè ne aliter quidem vulgus sentit, & periculum est ne pertinaces etiam inuiti eos admittere cogãtur. Negare itaque Dæmones apud Christianos, vt erroneũ & impium, & Sacris literis aduersum esse, cum ratione censet Ioannes Gerson, tantumque erroré produci apud quosdam literatos, ex defectu fidei, tum ex debilitate & deprauatione rationis. Hanc sententiam tuentur omnes

Act. 8.

De erroribus circà artem magicam.

tàm Græci, quàm Latini Catholicæ Eccleſiæ Patres. Et in eâdem videntur eſſe Philoſophi omnes Platonici, nec non falſus ille Propheta Mahomet, (quamuis malè ex igne peſtifero creatos, ſeptem annorum millibus ante Adamum eſſe voluerit.)

Azoara 25 Cantacuzenus in Apologia.

His ità poſitis, accedant qui Philoſophi cenſentur, & in atram bilem effectus enarratos referant, noſque doceant, quomodò graue ſurſùm aſcendere poſſit, nec deorsùm tendat; quis, ſine organo loqui; ſecreta abſque notione vlla reuelare, longè diſſita, & extrà actiuitatem ſenſuum poſita, ſine ſuſurro enuntiare; Species Sacramentales è ventriculo, ſine vomitu regerere; & quomodo corpus, nullo quieſcente, moueri queat. Equidem melancholiæ ef-

fectus nullomodò esse posse, in prima Exercitatione dilucidè satis demonstratum fuit, nam affectus melancholicus desipientia est, & mentis alienatio, sine febre, intrà ineptas cogitationes consistens cum mœstitiâ & metu : hic originem ducit ex vitiato sanguine, qui fœculentus & ater redditur, quoties multa atque impura bilis ipsi cõmiscetur ; idque vel ob adassans calidum, vel congelans frigidum. Sic posteà affectus sanguis spiritus dabit opacos & inamœnos, ex quibus, horrendæ & terrificæ cogitationes inuadent. Hujus autem tres sunt species, & vnicuique communis est pauor, metus, trepidatio, angor, sollicitudo, variarumque imaginum perturbatio, præsertim si talis dispositio diù perseueret, quod rarò virginibus

virginibus & mulieribus contingere poteſt; illis enim mens atrâ bile tentatur, ob purgamẽtorum ſuppreſſionem, vt docet Hippocrates ab exemplo mulieris quæ in Thaſo ad frigidã decumbebat, cui τὰ περὶ τὴν γνώμην μελαγχολικά, quod ſuppreſſæ muliebres fluxiones, plurimum ſanguinem atrum, craſſum, retorridum, & melancholicum, retinuére. Virgines verò benè diſpoſitæ, ſingulis menſibus per effluuium naturale expurgãtur: & ità liberantur ſanguine craſſo ac melancholico, ſine quo tamen effectus ſuos melancholia non edit. Tales certè ferè omnes Vrſulinæ Iuliodunenſes, quæ ſtato tempore, & dvt ecet, repurgantur: ideò ſaltem paterẽtur inducias, & jndicato tempore deprauata imaginationum

3. *Epidem.*

Mens atra bile tentabatur.

vis remitteret. Attamen nec magis, nec minùs, in, & poſt, vexantur, nec etiàm perpetuò illas ſimilis furor exagitat, quod in melancholicis fieri ſolet ; nam qui teſtaceum vas ceu fictile factum ſe putauit, omnibus obuiantibus ſemper de via cedebat, nè coarctantium attritu in fruſta collideretur. Qui Gallum alitẽ ſe exiſtimauit, gallos cantare audiẽs, vt hi alarum plauſu, ſic latera brachijs quatiens, animantium canoram vocem ſemper exprimebat. Qui criminis ſe reos imaginantur, pauidi anxijque, quâuis horâ verentur, ne manus ipſis inijciat Prætor, & ad tribunalia ſupplicio afficiendi pertrahantur. At Vrſulinæ Iuliodunenſes, etiàm dum Exorciſtæ preces fundunt, aut Dæmonibus pœnas

imprecantur, licet aliquandò ſtatim, non tamen ſemper Dæmonomaniæ edunt actiones. Conquieſcunt, inquit ſubtilitatis Profeſſor, motiones hæ, cum motus ſpirituum ſedatur, nam opinio quidem manet, ſed affectus vexatio tollitur. Subtiliter certè, verùm motus ille ſedatus, ad imperium Sacerdotis vt plurimum excitatur, & de nouo incipit, idque ſæpiùs in hora, ac aliquandò toties ſecundùm illius mandata extemplò conquieſcit, nec pro motu humoris prædominantis commouetur. Eccè ergò mobile, ecce motum certiſſimũ, vbi quæſo jam erit motor?

L. de immortalitate animæ

Corpus Vrſulinarum à cibo contorquetur, mens agitatur, ægritudines nullæ ſunt, παλαιπορίη frequentiſſimè in illis annotatur, &

non inſtituitur ἀνάπαυσις, nec tamen decumbunt. Dolores ſuſtinent, vt creſcat ſanitas; moriuntur quotidiè, vt ſalubriùs viuant; vigor mentem occupat, vt ad occaſum quemque Solis per mentis diſtractiones, & horridas imaginationes eant. Quid plura? poteſt ne Dæmon clariori exemplo ſuam denotare præſentiam? Philoſophi eam dijudicabunt, ſi ſtaterâ Pythagoricâ iſta libr̃et: natura quidem imbecillior eſt, quã quæ in duas partes reſtibilis ſufficiat, aut quæ geminis ſimul functionibus par eſſe queat, ſed quùm in vnam partem pronior incumbit, neceſsè eſt in alteram obtorpeat; nam, vt inquit Mediolanenſium Philoſophorum Princeps, *Naturæ humanæ proprium eſt, non benè operam dare duabus rebus ſi-*

mul : quandò enim verſatur in contorſione articulorum, aut actione aliqua mentis, conſentaneum eſt, & illuc vniuerſum naturalis diſpoſitionis robur transferri, quod in ſpiritu & calore conſiſtit. Euocato itaque ſpiritu & calore, aut ad caput, aut ad externa corporis membra, ventriculus aut negligenter appetit, aut ſi quid ingeritur, hoc ipſum infœliciter concoquit, & minima pars concocti hepar ſanguinis officinam ſubit, pars verò maxima in purgamenta ſecedit. Hinc ijs qui pomeridianas frequentant literarias exercitationes, morborum ſeminaria congenerantur; hinc ſapientes, vt plurimum, ſtupidos atque inertes generant filios : nam cùm ob ſpeculationem, versùs cerebrum ferantur ſpiritus

& calor, ijs genitales partes deſti-
Alexander Aphrod l. ſolutionum prob. 4. tutæ langueſcunt. Hinc ſenes excrementoſi ſunt, quoniam hac ætate, ſpiritus & calor imbecilliores cum ſint, minùs concoquunt. Et quantò contorſiones, & mentis actiones ſunt frequentiores & diuturniores, tantò pluribus egent ſpiritibus, vt deſignato operi ſufficiant, qui cum ſint tenues ocyſſimè diſſipantur. Quarè neceſsè eſt nouos ſpiritus accurrere, qui cum ex tenuiſſima ſanguinis parte fabricentur, profectò opus eſt inexhauſto ac perpetuo fonte, ex quo perpetim ſcaturiant recentes in diſſipatorum locum: & quùm ex his crebris longiſque emanationibus, ſubtiliores & lucidiores ſanguinis partes tandem abſumantur, nemo non videt, quàm pars reliqua cœnum contrahat,

& craſſa ac fœculenta euadat, ac proindè innumeras pariat obſtructiones, (& fortaſsè quales ἐνστάσεως nomine ſignificat Aſclepiades) quæ tranſpirationem prohibent, vndè ventilatione prohibita, calor refrigerio deſtitutus hebeſcit & extinguitur; calore demùm debilitato, humor euagatur, ac di fluit; caloriſque vi ac dominio deſtitutus, computreſcit. Quod profectò veriùs eſt quàm vt pluribus explicare habeam neceſsè, cum inter omnes conſtet, ventriculi in concoquendis cibis imbecillitatem, omnium ferè corporis affectionum cauſam eſſe. Eccè in tempore concoctionis caloris ac ſpiritus aliò euocationem, & eorum diſſipationem, quâ igitur arte & quo concoctore perficitur? quùm noſtræ Vrſulinæ, ab

eo tempore quo vexantur, laudabilem huc vſque habuerint ſanitatem. Immoderatas corporis motiones quotidiè ſuſtinent, ſine quiete fatigantur, & tamen vigent : nihil tàm inimicum corpori, tàm valetudini aduerſum, tàm viribus infeſtum, quàm dolor, & nihilominùs à dolore, valent. Senſus omnes illis intercipiuntur, oppleto à venenatis vaporibus cerebro, vndè omnes animalis facultatis vires conſopitæ manent, an vt diuturni penſi perpetuatione minùs fatiſcant ? imò quies & otium ibi non eſt, vbi natura vires omnes intendit, vt venenatæ qualitati reſiſtat. Videntur arbores quaſi interire poſt fructificationem vt viuant, quies & otium illis eſt à labore, non vera mors. At Vrſulinæ dum ſic qui-

eſcere videntur, potenter agunt, nec tamen moriuntur, ſed expergefactæ, vt priùs viuunt.

Ex quarum omnium rerum conſideratione manifeſtum fit ſatis, in corporibus Vrſulinarum Iuliodunenſium eſſe Dæmones, tanquam in ſuo pro tempore vbi, nam vbi, circunſtantia eſt neceſſaria omnibus entibus præter Deum; cumque ſpiritus ſint entia finita, neceſsè eſt vt ſint in aliquo vbi, non autem vt ſint in aliquo loco, quia ſunt ſine materia; occupatio namque loci eſt magnitudinum propria, reſque ipſæ phyſicæ, beneficio magnitudinum, ſitum & locum occupãt, quarum extrema complent vacuum corporis continentis. & ſunt in hoc vbi, quià non poſſunt eſſe alibi. Nec Gabriël Angelus

Anaſtaſius Synaites de rect. fidei dogmat. l. 1.

potuit ſimul in Cœlo eſſe, & apud Beatam Virginem, nec apud Danielem in Babilone, nec in Iudæa apud Abacuch, cum creatæ ſint naturæ. Sed plures eſſe poſſunt in eodem vbi, quod probatur, radij enim cerei vnius aut plurimorum, ſunt in eodem aëre, & in eodem vbi, & Dæmoniacus apud Marcum interrogatus reſpondet *Legio mihi nomen eſt quia multi ſumus.* Ideò niſi in hoc vbi eſſent Dæmones, tàm horridas, quarum mentionem fecimus, actiones, non ederent Vrſulinæ.

c. 5.

Verùm quarè tàm malè vexatæ ſint, in obſcuro adhuc eſt, quæcunque enim fuére Arreptitiæ, in exemplum à me allegatæ, occaſionem dederant, ſi non omnes, ſaltem ex vno quoque Cœnobio

vna, muliebrium ſcilicet locellorum contrectatione; quod in hac ætate tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt. Nimis certè panduntur aliquandò clauſtri virginalis portæ, aperta rima patent loci, & tunc videre licet

Quem ſinus abſcondit.

Iocosè, imò verè, partes illas blattarias exiſtimo, quià per rimam diem admittunt. Quæ verò rimam conſtruunt, à noſtræ ætatis medicis πτερυγώματα dicuntur, quæ Hippocrates & Euriphon χρημνὸς hoc eſt præcipitia, nominant: multis hujus foſſæ χρημνὸς, quia tenebricoſus, verum præcipitium fuit. Antra quià opaca & nigrantia, difficilè lumen admittunt, & in ijs facilè deliteſcunt, qui tenebras & obſcuritatem colunt, *Impius ſedet in inſidijs* *Pſalmiſt. pſal. 9.*

& in occultis, vt interficiat pauperem.

In sermon. 2. de Zelo & liuore. *Circuit ille nos*, inquit D. Cyprianus, *singulos, & tanquam hostis clausos obsidens muros, explorat & tentat, an sit aliqua pars membrorum minùs stabilis, minùs fida, cujus aditu ad interiora penetret.* Hinc D. Petrus non injuriâ mulieres vocat infirmius vasculum. Fragiles namque esse, & deceptu faciles, testimonio sunt leges. *Sexus mulierum*, ait D. Chrysostomus, *incautus & mollis est; incautus, quià non omnia quæ videt aut audit, cum sapientia & ratione considerat: mollis, quià facilè flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum.* Fortes esse non possunt ij, quibus signum fortitudinis deest, at mulieribus inest signum quod omnibus non fortibus, & nullis fortibus inest, deestque signũ quod omnibus for-

1. c. 3.

L. f. mul. C. ad Veillejanum.

In 2. parte Homil. In Mathæum Homil 23.

tibus, & nullis non fortibus ineſt; deeſt namque durities pilorum, adeſt mollities, adeſt timiditas, deeſt fortitudo. Id à poſteriori cõfirmatur, Ceruus, Lepus, Ouis, ſunt animalia timidiſſima, & pilos habent molles; fortiſſimus Leo & Aper duriſſimos obtinuére. Aquilæ, Accipitres, Galli Indici, fortes ſunt, & pennas duras habent (pennæ autem pilis reſpondent,) Anſeres & auiculæ quarũ pennæ ſunt molles, eædem etiàm timidiſſimæ ſunt. Omne animal robuſtum multo calore abundat, ſanguis illi craſſus & fibroſus, vndè durities, minor verò calor, frigiditatem ſanguinis & aquoſitatem oſtendit, vndè mollities: at frigiditas in animo timorem inducit, in corpore torporem, & debilitatem. Macrobius inquirens

rationem cur fœminæ citiùs generationis complementum ſuum habeant quàm viri, *illud*, inquit, *naturæ infirmioris eſt*. Dæmon itaquè omnibus retia tendens, muſcam ſaltem, id eſt infirmum, capit : non enim ſolida loca terræ motu concutiuntur, cum aërem non admittant, neque limoſa qualis Ægyptus, quod rimis careant. Solidi homines & fortes, peccati expertes ſunt, & ideò nullum in illos imperium obtinet muſcarum dominus : rimas ergò petit, molles ſcilicet, incautas, minùſque prudentes mulierculas. Hæ porrò conditiones, licet omnes à natura ipſa reperiantur in Vrſulinis Iuliodunenſibus ; nemo tamen quauis mente præditus, occaſionem hujus rei Iuliodunenſis adhuc detexit. Nam in illis inſi-

gnis videtur pietas, quarũ exercitia præcipua, jejunia, lachrymæ, ac preces fuerunt, queis ſcilicet Deũ & gemitibus & verbis cõpellunt. Quantùm autem poſſit iſta vitæ ratio, verbis exprimere non poſſumus, ſed eo modo virtutẽ in infirmitate perfici vult Apoſtolus. Huc ingeniũ, huc neruos intendamus, corpus obrigeſcit, labant illis genua, crura deficiũt, oberrãt pedes, cadit in terram corpus, cor occupatur, ac opprimitur; animus in ſtatione manet. Contorquẽtur digiti, pellis corrugatur, totum neruoſum genus cõtrahitur; animus conſiſtit. Vſus ſenſuum adimitur; intacta ſubſiſtit voluntas. Omnes corporis partes ſenſiles dolore afficiũtur, caro laceratur, robur totius corporis frangitur; quid animus? quià munimento corporis

deſtituitur, ſuum aſſumit. Conſpurcatur qui cœnum aut lutum cõtrectat, ſed animus incõcuſſus, ſuæ voluntatis conſcius ac potens, nullomodò inficitur. Dum ſub onere corpus curuatur, dum ſpiritum vix ducit, dum anhelando altiùs anima ducitur, animum Vrſulinæ conuertunt ad Ieſum, vt robur & duramentum accipiant, ac ſine animi detrimento, tormenta & dolores inuolucrum animæ ſuſtinére poſſit. Verùm ſi in hac opinione lapſus ſum, ſi quid mihi excidit, erudite Lector, peto à te, vt corrigas, non culpes; effeci quod potui, in omnibus non adfui, non impedio, ſi quis in eodem circo currere velit ad palmam. Vale, & ſi merui, faue.